AUTHOR:

PRINZ, RUDOLF

TITLE:

DE SOLONIS PLUTAR-
CHEI FONTIBUS

PLACE:

BONNAE

DATE:

1867

Master Negative #

91-80190-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88P71
KZ
v.2

Prinz, Rudolf, 1847-
De Solonis Plutarchei fontibus dissertatio philologica quam...scripsit et... publice defendet Rudolfus Prinz... Bonnae, formis Caroli Georgi, 1867
42 p. 20½ cm.

Thesis, Bonn, 1867.

Volume of pamphlets

350325

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-16-91 INITIALS: M.B
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

DE

SOLONIS PLVTARCHEI FONTIBVS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN ACADEMIA

FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXI MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXVII

PVBLICE DEFENDET

RVDOLFVS PRINZ

HAMMONENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

IVLIVS STEVP COLONIENSIS
MAXIMILIANVS GRASSHOF HAMMONENSIS
HERMANNVS GRVCHOT HAMMONENSIS.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI.

MDCCCLXVII.

ARNOLDO SCHAEFER

Plutarchi vitae nobis ad res antiquas cognoscendas maximi sunt momenti, quamvis inter historicos parvi aestimandus sit. Quum enim mores emendare velit, non tam id agit, ut optimis fontibus adhibitis ea, quae gesta sunt, quam accuratissime atque ita, ut appareat, quomodo res inter se cohaereant, exponat, quam ut commodissimos scriptores secutus naturam et mores virorum illustrium sine ira et studio delineet atque describat. Fidem vero singularum vitarum ex fontibus, quibus usus sit, pendere apparet, ideoque quam accuratissime indagandum est, unde singula depromserit. Hanc ab causam omnes vitas iam A. H. L. Heerenius in disceptationem vocavit commentationibus quatuor »de fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi« scriptis atque Gottingae a. 1810—18 editis. Sed levi brachio hoc egit ac plerumque enumeravit tantum scriptores, quos Plutarchus ipse affert, ita ut sine dubio assentiendum sit iudicio saepe laudato C. F. Hermanni, qui (Ind. lect. univ. Marb. a. 1836 sem. aest. p. III) »Heerenius« inquit »neglegentius, quam par erat, hac provincia functus est.« Post Heerenium Graecorum vitas exploravit Martinus Haugius libro, qui inscribitur: Die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der Griechen. (Gekroente Preisschrift) Tuebingen 1854. Sed saepissime perperam iudicavit ac nequaquam omnia, quae sunt in causa, ita exsecutus est, ut nihil amplius desideremus. Omnino liber, quo in omnes seu Graecorum seu Romanorum [1]) vitas inquiratur, tum demum scribi posse mihi videtur, quum is, qui scripturus est, in singulis vitis Plutarchi narrationem ita perscrutatus est, ut singula

1) De Hermanni Peteri libro iudicare non huius est loci.

quasi elementa discernere atque suum cuique auctori vindicare possit, id quod recte Hermannus Sauppius (Die Quellen Plutarchs im Leben des Pericles Göttingen 1867 p. 6) postulat.

Singulae vero vitae praesertim novissimo tempore summa cum diligentia atque sagacitate examinatae atque exploratae sunt, velut vita Periclis a Sauppio Gottingensi, Cimonis a Rühlio Marburgensi, Lysandri a Stedefeldtio nostro. Sed hae vitae haud magni nobis sunt pretii atque supplere tantum possunt ea, quae alii iique graviores rerum scriptores memoriae tradunt. Quamvis igitur talibus vitis pertractandis satis certa consequamur et rationem, quam Plutarchus in fontibus adhibendis atque omnino in scribendo inierit, accurate cognoscamus, tamen maioris momenti mihi exploratio fontium earum vitarum esse videtur, quibus fere solis notitiam summorum virorum et rerum debemus. Quarum in numerum praecipue referenda est Solonis vita [1]), praeter quam, ut omittam inopem et miseram Laertii Diogenis compilationem, singula tantum testimonia de vita atque factis huius praestantissimi viri nobis restant, cuius in legibus fundamenta rei publicae Atheniensium posita erant. Investigatio vero fontium vitae Solonis partim magnas praebet difficultates, sed summa quaestionis ad liquidum perduci potest.

Ac primarium quidem fontem ***Solonis carmina*** esse patet, ex quibus maxime vitam et sententias eius cognoscere possumus. Quod quum Plutarchus recte intellexisset, haec literarum monumenta in usum suum convertit. Nominatim fere vicies ad ea provocat, sed etiam multis aliis locis certe ea respexit. Nec vero verba poetae accurate refert, quod

1) De Solonis Plutarchei fontibus nuperrime egit Otto Keller dissertatione, quae prodiit Saalfeldae a. 1867. Qui praecipue Haugium atque Sintenisium (praef. ed. Aristid. Weidmannian.) sequitur nec quidquam novi affert.

partim eo explicandum, quod ex memoria citat. Saepe versus non integri sunt, quia illos in narrationem intexit; interdum etiam versus transponit vel eos, qui e diversis carminibus sumti sunt, quasi continuos componit.

Quodsi Solonis carmina percurremus, ut videamus, quatenus et quo modo Plutarchus eis usus sit, aptissimum erit ea dividere in civilia i. e. ea, quae ad cives et rem publicam ac talia, quae magis ad Solonis vitam privatam pertineant, quum vulgata partitio, in qua metrum respicitur, nostro quidem consilio incommoda sit, quia diversa metrica forma non argumenti deversitatem continet. Utri tamen generi nonnulla fragmenta assignanda sint, vix decerni poterit.

Inter civilia carmina, quae nobis plurimi facienda sunt, primum locum obtinet notissimum illud Σαλαμίς inscriptum, cuius initium et finis nobis servata sunt. Primos versus huius elegiae, quae »centum venuste compositorum versuum« erat, Plutarchus c. 8 affert atque Solonem eam cantasse narrat. Hoc multos recentioris aevi viros doctos offendit, quin etiam Bernhardyus (Grundr. d. gr. Lit. II ^{2}, 1 p. 446) Plutarcho crimini dat, quod rem inepte exornaverit. Sed Plutarchum defendendum esse puto, atque, quum etiam de iis, quae Plutarchus paulo ante tradit, recentiorum iudicia diversa sint, necessarium erit aliquanto accuratius de hac re agere.

Plutarchus antea narravit Athenienses diu bello cum Megarensibus propter Salaminem insulam infeliciter gesto decrevisse, ut is, qui denuo de Salamine recuperanda referret vel loqueretur, capitis damnaretur; Solonem vero ignominia exacerbatum dolum excogitasse, ut legis vim eluderet, praesertim quum vidisset multos iuvenes Athenienses belli initium exspectare. Insania simulata pileatum in forum irrupisse ibique magna multitudine circumdatum e praeconis suggestu elegiam cantasse. In hac Plutarchi narratione duo veri dissimilia sunt, quamquam apud plerosque scriptores inveniuntur, qui rei mentionem faciunt, ac primum quidem

Atheniensium lex, neque enim credere possum hos se ipsos tanta ignominia affecisse, deinde insania simulata. Quod vero Solon elegiam cantasse dicitur, hac re cum Plutarcho consentiunt Demosthenes, qui de fals. leg. p. 420 § 252 *ἐλεγεῖα* inquit, *ποιήσας ᾖδε*, quod non, ut Bernhardyus vult, generaliter dictum esse potest, atque Aristides II p. 361: *τὰ μὲν εἰς Μεγαρέας ἔχοντα ᾆσαι λέγεται.*

Praecipue autem hoc demonstrari videtur altero ipsius carminis versu [1]).

Aliter sane Laertius Diogenes I, 46 rem tradit his verbis: *ἀνέγνω διὰ τοῦ κήρυκος τὰ συντείνοντα περὶ Σαλαμῖνος ἐλεγεῖα.* Solon igitur praeconem iussisse dicitur carmen recitare. Sed huic relationi praecipue id obstat, quod Solon in carmine se prima persona significat. Si vera narrasset Diogenes, exordio gravitate verborum excellenti: *Αὐτὸς κήρυξ ἦλθον ἀφ' ἱμερτῆς Σαλαμῖνος* omnis vis adimeretur. Intelligere vix possum, quomodo Bernhardyus II, 1 p. 446 Diogenis narrationem solam rectam esse dicere potuerit; p. 402 autem mediam quandam ingressus est viam his usus verbis: Solon sprach seine Elegie gesangähnlich unter dem Scheine poetischer Exaltation, bis er sein Publicum bewog den Rest oder das Ganze durch den Herold sich vorlesen zu lassen. Sed haec agendi ratio Solonis mihi valde inepta atque haec coniectura prorsus a vero abhorrere videtur, qua Bernhardyus id tantum agit, ut duas diversas narrationes inter se conciliet. Quod fieri non posse mihi persuasum est. Neque illud necessarium est, quum nobis Laertii Diogenis hoc loco nulla habenda sit ratio. Nec vero Laertii error difficilis est explicatu, Eo enim factus esse videtur, quod ille meminerat se vocabulum *κήρυξ* legere neque hoc uti posse sibi videbatur nisi ita, ut praeconem munere solito etiam tunc fungentem faceret.

1) Scribendum videtur cum Hartungo: *κόσμον ἐπέων ᾠδήν τ' ἀντ' ἀγορῆς θέμενος.*

Ceterum hic in transcursu etiam miram Westermanni sententiam memorare libet, quam in Paulyi libro, qui inscribitur Realencyclopaedie, s. v. Solon proposuit. Putat enim Solonem elegiam cantasse, quum non licuisset de Salamine recuperanda referre, neque omnino loqui, cantare autem ea de re licuisse.

Una vero res a Plutarcho commemorata in hac disceptatione diiudicanda maxime respicienda mihi videtur, quae a plerisque negligitur. Plutarchus enim addit verba *πιλίδιον* (ita enim Bryanus plurimorum codicum scripturam *πλινθίον* correxit Demosth. d. fals. leg. p. 421 § 255 secutus) *περιθέμενος*. Solon igitur capiti pileum imposuit. Quo consilio hoc fecerit, dubium est. Nonnulli existimant ex Plat. rep. 3 p. 406 D, quo ex loco *πιλίδιον* capitis tegumentum aegrotorum fuisse apparet, se concludere posse Solonem dementiam suam significare voluisse, quia is, qui illo tectus in medium procederet, non potuisset non insanus haberi.

Sed talis explicatio mihi nimis artificiosa videtur. Pileum autem peregrinantes in capite gerere solebant (cf. Beckeri Chariclis vol. II p. 360), itaque etiam Solon sibi talem imposuisse videtur, ut vulgus crederet ipsum Salamine reverti, (nisi statuere mavis eum re vera illuc profectum rediisse) quum etiam ipse carminis initio dicat, se ab insula Salamine praeconem redire.

Duo alia disticha ac finem elegiae Laertius Diogenes I, 47 servavit. Hoc carmine Solon Athenienses ita inflammavit, ut statim Salaminem recuperare coustituerent, quod Solonis dolo effectum est. Qualis vero dolus fuisset, non constabat, ut Plutarchus c. 8 et 9 ait, qui hoc loco duos diversos fontes (vel fontem, qui duas diversas narrationes exhibebat) adhibuisse videtur. Eius relatio valde contorta est, quum expugnationem insulae a Solone factam atque Pisistrati contra Megarenses expeditionem haud distinguat. Iam vero quaeritur, utrum Plutarchus hanc confusionem iam in fontibus inve-

nerit, an duas de duabus ab Atheniensibus contra Megarenses factis expeditionibus ad unam Solonis transtulerit. Hoc Plutarchum fecisse haud infitier. Quum vero etiam de his expeditionibus viri docti varie iudicent, aptissimum erit statim hoc loco de ea re agere.

Quae diversi scriptores de his expeditionibus produnt, non accurata sunt, sed satis certe eis probari videtur duas esse statuendas, atque ita etiam Iustinus (quem Trogi scrinia Theopompi compilantis librum excerpsisse constat) l. II c. 8 expugnationem Salaminis a Solone atque Nicaeae a Pisistrato peractam discernit. Primum autem Plutarchi narrationem perlustremus, quod nostra praecipue refert. Hic c. 8 narrat Pisistratum una cum Solone cives ad bellum contra Megarenses renovandum adhortatum atque cum illo ad bellandum profectum esse. Solonem autem naves ad promontorium Coliadem appulisse atque, quum ibi Athenienses feminas Cereris diem festum agentes invenisset, nuntium ad Megarenses misisse, qui illos admoneret, ut mulieres raperent. Illos una navi advectos ab adolescentibus vestibus muliebribus indutis, quos Solon in ora posuisset, oppressos esse. Deinde Solonem navi potitum atque Salaminem profectum insulam expugnasse. Haec narratio, quam in vulgi ore versari (*δημώδη λεγόμενα*) Plutarchus dicit, vera esse non potest. Namque primum quod Pisistratus bello interfuisse dicitur, hic eo tempore, quo Salamis a Solone expugnabatur (sive anno 604 sive 598, certe ante bellum Crissaeum et Solonem archontem) nondum eam aetatem assecutus erat, qua ei licebat stipendia facere. Sed etiam dubium est, num iam natus fuerit eo tempore, namque eum circa a. 600 natum esse nobis statuendum est (cf. Dunckeri Gesch. d. Alterth. vol. IV p. 294 et 296 not. 1) quum *γηραιός* (Thucyd. VI, 54) a. 527 moreretur. Cur cum Clintono (Fast. Hell. I p. 225 s. a. 596), quem Fischerus (Zeittaf. p. 113) ac plerique sequuntur, ipso anno 595 eum natum esse sumamus, nulla est causa. Voemelius autem (Exercitat. chronolog. de aetate

Solonis et Croesi Frankfurt 1832 p. 19) atque Westermannus (in annotatione ad hunc Plutarchi locum facta) putant Pisistratum expeditionis participem non tyrannum, sed eius avum fuisse. Sed duos cognomines homines sumere plerumque vereor, ac Plutarchus, si alium ac notissimum tyrannum intellexisset, certe accuratius illum designasset. Nec quisquam eiusdem nominis, qui illo tempore vixerit, alibi commemoratur, atque archon anni 669, cuius Pausanias II. 24, 8 mentionem fecit, vix etiamtum vixerit.

Sed ut omittamus Pisistrati commemorationem, etiam per se narratio veri dissimilis est. Fac Solonem prope Coliadem unam cepisse Megarensium navem. Num iam nemo in insula resistebat?

Atqui eundem fere dolum Pisistrato Nisaeam, Megarae portum, expugnanti ascribunt Iustinus II, 8, (Frontinus) Strategemat. IV, 7, 44, Aeneas Poliorcetic. 4, qui haec narrant: Postquam Megarenses audiverunt Athenienses matronas Eleusine commorari Cereri sacra facientes, noctu naves conscenderunt ad illas rapiendas. Cuius rei certior factus Pisistratus insidias struxit ac plerosque Megarenses navibus egressos interfecit. Quo facto quum naves captas suis copiis implevisset, etiam mulieres secum duxit atque Megaram vectus est. Megarenses vero navibus atque mulieribus, quae iis captae videbantur, conspectis, summo gaudio ad oram properarunt, sed mox spes eos fefellit, namque Pisistratus navibus appulsis Nisaea potitus est, neque multum aberat, quin urbem ipsam caperet.

Quam narrationem non est cur vocemus in dubitationem, fortasse vero obiicies scriptores leviores haec tradere.

Sed fortuna accidit, ut etiam unus e gravissimis auctoribus, Herodotus, haec referat I, 59: *πρότερον εὐδοκιμήσας* (sc. *ὁ Πεισίστρατος*) *ἐν τῇ πρὸς Μεγαρέας γενομένῃ στρατηγίῃ Νίσαιάν τε ἑλὼν καὶ ἄλλα ἀποδεξάμενος μεγάλα ἔργα.* Bellum igitur a Megarensibns post Solonis expeditionem redintegratum esse statuendum est. Quod confirmatur Plu-

tarchi verbis c. 12: *ταύταις δὲ ταῖς ταραχαῖς* (turbas dicit Alcmaeonidarum scelere exortas) *καὶ Μεγαρέων συνεπιθεμένων ἀπέβαλόν τε Νίσαιαν οἱ Ἀθηναῖοι καὶ Σαλαμῖνος ἐξέπεσον αὖθις.* (Ex his verbis elucet Athenienses Nisaeam iam in Solonis expeditione imperio suo subiecisse).

Hunc autem Plutarchi locum Plassius (Gesch. d. Tyrannis bei d. Griechen I p. 183) ad id tempus spectare putat, quod Solonis expeditionem antecesserit atque n. 5 annotat, quod Plutarchus vocabulum *αὖθις* i. e. iterum addat, id eo explicandum esse, quod ille, qui in vitis non semper temporis ordinem servaverit, iam antea (c. 8) insulam a Solone expugnatam narraverit. Sed haec explicatio mihi ineptissima videtur.

Iam vero quaerendum est, quando Pisistratus Nisaeam expugnaverit. Dunckerus (IV p. 296) id circa a. 560 factum esse existimat. Multo ante certe factum esse non potest, quia alioquin Pisistratus exercitui non praefectus esset. Sed mihi expeditio aliquanto post facta videtur respicienti relationem Plutarchi, qui c. 10 Solonem effecisse dicit, ut Megarenses pacem inirent. Solon enim Megarensibus, qui sine dubio ab Atheniensibus Nisaeam praesidio tenentibus magnopere premebantur, proposuit, ut controversiam de Salaminis possessione Lacedaemoniis decernendam traderent.

Quam condicionem quum illi accepissent, Solon Lacedaemoniis compluribus causis [1]) demonstravit insulam anti-

1) Ex Solonis causis etiam ea erat, quod cadavera in insula non Megarensium, sed Atheniensium more humata essent. Megarenses enim mortui oculis (non capite, ut C. O. Müllerus (Dorier II p. 391) ait) ad orientem, Athenienses ad occidentem solem versis sepeliebantur. Quod impugnasse Heream, Megarensem scriptorem, Plutarchus c. 10 narrat. Hic incertae aetatis auctor librum composuisse videtur *Μεγαρικά* inscriptum (cf. Mülleri Fragm. Hist. Gr. IV p. 426). Plutarchus eum etiam in Thesei vitae c. 20 et 32 citat. Posteriore autem loco Plutarchus dicit Heream de versibus a Pisistrato in Homeri carmina illatis egisse. Itaque sine dubio sumendum

quitus Atheniensium fuisse, ita ut in Atheniensium gratiam controversia dirimeretur.

Quodsi statuerimus Solonem circa a. 565 revertisse (quod quidem veri simillimum, quamvis non certo demonstrandum), etiam hoc fere tempore expeditionem factam esse sumemus. Sed fortasse inter Nisaeae expugnationem atque pacis constitutionem nonnulli anni intercesserunt. Multo vero ante annum 565 illa facta esse non potest, quod alioquin res a Pisistrato gestae e populi memoria evanuissent, atque fama illis rebus conquisita ei anno 560 non tantum prodesse protuisset.

Quodsi constat Pisistratum expeditionem contra Megarenses fecisse atque dolo supra commemorato usum esse, videmus in narratione Plutarchi (c. 8) nonnulla recta inesse vel potius occulta esse. Id vero, quod de una navi traditur, ex vera de Solonis expeditione narratione exemptum esse videtur, quam Plutarchus c. 9 recte profert.

Accuratius de his rebus disputavimus, quia Thirlwallus (Hist. Gr. 2 p. 26 not. ed. Schmitz) [1]) remedium iam a Bulwero (Athens p. 138) adhibitum duas expeditiones statuendi, quo omnes dilabuntur difficultates, vix nostrae aetatis criticis probatum iri dixit. Ipse vero coniicit Plutarchum de tempore Pisistrati et Solonis errare, atque unam expeditionem multo post factam esse. Quam coniecturam vir alias cautissimus et prudentissimus se fulcire posse putat per Laertium Diogenem, miserum illum conscribillatorem,

erit eum hoc loco etiam de versibus a Solone in navium catalogum infertis disputasse atque *τοῖς πολλοῖς*, quos Plutarchus (Sol. c. 10) memorat, adnumerandum esse. Hic aut certe Megarensis scriptor etiam narrationis auctor fuisse videtur, quae apud Pausaniam I, 40, 4 invenitur. Hic enim tradit Megarenses dixisse exules Megarenses insulam Soloni prodidisse. Ceterum Hereae notitiam debere videtur Plutarchus Hermippo, ex quo etiam cetera me iudice hausit.

1) Thirlwallum et Groteum cito ex editionibus germanicis, quippe quae in plerorumque manibus versentur.

qui de Salaminis expugnatione agat quasi post Solonis legislationem peracta. Sed haec coniectura, inquit, suo ipsius pretio nitatur. Quibus assentior verbis, quum nemo postulaturus sit, ut accuratius eam redarguam.

Groteus vero (II p. 120 not. 99 ed. Meissner) Herodoti fidem infamare studet, quia eius ratio illorum temporum contorta sit, atque ad hanc sententiam probandam affert Herodoti de Solonis et Croesi conventu atque de Atheniensium ad Sigeum pugnis et Alcaei fuga[1]) narrationes.

Nec vero ad Herodoti verba supra allata in suspicionem vocanda hoc valet, quae optime in nostram rationem quadrant. Herodotus enim id bellum, quod nos statuimus, intellexisse videtur.

Ceterum Solonem ipsum bello Megarensi interfuisse negavit Daïmachus Plataeensis (cf. Mülleri Fr. H. G. II, p. 440—42. Voss. de hist. gr. ed. Westerm. p. 112). Hoc enim modo Plutarchi verba (comp. Sol. et Publ. c. 4): *τῶν μέντοι πολεμικῶν Σόλωνι μὲν οὐδὲ τὰ πρὸς Μεγαρεῖς Δαΐμαχος ὁ Πλαταιεὺς μεμαρτύρηκεν, ὥσπερ ἡμεῖς διεληλύθαμεν* plerique interpretantur, velut Groteus II p. 73 not. 6, C. Muellerus l. l., C. O. Muellerus Dorier I p. 178. Sed his verbis, ex quibus certi nihil erui potest, Plutarchus fortasse dicere voluit Daïmachum res a Solone in bello Megarensi gestas non commemorare. Daïmachum post Megasthenem Palimbothra ad regem Allitrochaden, qui inde ab anno 288 usque ad annum 263 vel 260 regnabat, legatum missum esse atque Indica scripsisse scimus, sed quo in libro de Solone egerit, non constat. Daïmachi nomini a Stephano Byz. s. v.

1) De hac re accuratissime egit nuperrime Alfredus Schoeneus Symbol. philol. Bonnens. (1867) p. 746 sqq. Forsitan ad Herodotum defendendum aliquis statuerit Herodoti verba (V, 94 sqq.): *ἐπολέμεον γὰρ* usque ad vocabulum *Σίγειον* digressionem esse, ita ut neque cum antecedentibus neque cum sequentibus arcte cohaereant. Sed vix crediderim hoc statui posse.

Λακεδαίμων πολιορκητικὰ ὑπομνήματα addicuntur, ad quae nostrum locum referre possis, quum etiam Aeneas Tacticus in Poliorcetico Atheniensium expeditionem descripserit, sed dubium est, num hic Daïmachus sit Plataeensis. Praeterea Daïmachi nomen duobus aliis locis coniectura restituerunt, ac primum quidem Plut. Lys. c. 12 (ubi codices *Λαΐμαχος* praebent) ita ut *περὶ εὐσεβείας* scripsisse dicatur, in quem librum noster locus non quadrat, deinde Casaubonus coniicit Diog. Laert. I, 30 (*Δαΐδαχος δ' ὁ Πλατωνικὸς καὶ Κλέαρχος φιάλην ἀποσταλῆναι ὑπὸ Κροίσου Πιττακῷ καὶ οὕτω περιενεχθῆναι*) verba *Δαΐδαχος δ' ὁ Πλατωνικός* mutanda esse in *Δαΐμαχος δ' ὁ Πλαταιεύς* [1]). Neque ita multum lucramur, namque testimonium habemus, quod unde sumtum sit, nescimus. In tali autem libro, in quo de septem sapientibus sermo erat, etiam Solonis mentionem facere potuit. Atque si Plutarchi verba significant Daïmachum res a Solone in bello Megarensi gestas non commemorare, hoc in tali libro non mirabimur. Sane ita Daïmachum (quem fortasse Plutarchus ab Hermippo citatum invenerat) commemorare supervacaneum fuit, sed id nostri scriptoris rationi convenit. Sin autem Plutarchus dicere voluit Daïmachum negare Solonem Megarensi bello interfuisse, huic rei non multum tribuendum est, quia Daïmachi fides etiam alias minima erat (cf. Strabo II p. 70), neque Plutarchus eam magni aestimasse videtur, quum illam rem in comparatione Solonis et Publicolae demum commemoret. Sed fortasse Daïmachus bellum Pisistrato duce gestum intelligi voluit, cui Solonem non interfuisse suo iure affirmare poterat.

Sed tempus est, ut post hunc satis longum excursum eo redeamus, unde exorsi sumus, ad Solonis carmina. In poemata initio per lusum atque otium condita Solon, ut Plutarchus c. 3 ait, postea *πολλὰ τῶν πολιτικῶν* intexuit,

1) Cobetus in textum, qui dicitur, recepit *Δαίδαλος δ' ὁ Πλατωνικός*. Quae quamvis lenior mutatio, tamen non probanda videtur, quia hic scriptor, quantum equidem scio, ceterum ignotus est.

ut suam agendi rationem civibus probaret atque eos admoneret vel vituperaret. Quod vero Plutarchus paulo post commemorat nonnullos dicere Solonem aggressum esse ad leges versibus includendas atque eosdem initium huius operis (fr. 31 ed. Bergk.) memoriae prodere, non dubito, quin illud opus commenticium sit. Dunckerus autem, qui illi narrationi fidem habet vol. IV p. 299 haec dicit: »Solon brachte seine Gesetze oder vielmehr die wesentlichen Bestimmungen derselben mit ihren politischen und sittlichen Motiven in ein Gedicht von 5000 Versen.« Apparet eum Laertii Diogenis verba (I 61) male intellexisse, qui Solonis elegias quinque milium versuum fuisse dicit.

Iam nobis tractanda sunt ea carmina, quae *Ὑποθῆκαι εἰς Ἀθηναίους* inscribuntur. Quorum antiquissimo, a Demosthene d. fals. leg. p. 421 servato (fr. 4 ed. Bergk.), quod ante legislationem scriptum videtur, Solon calamitatem tenuiorum hominum aere alieno obrutorum describit. Sine dubio Plutarcho Solonis versus 23 sqq.:

τῶν δὲ πενιχρῶν
ἱκνοῦνται πολλοὶ γαῖαν ἐς ἀλλοδαπήν
πραθέντες δεσμοῖσί τ' ἀεικελίοισι δεθέντες
καὶ κακὰ δουλοσύνης στυγνὰ φέρουσι βίᾳ

ante oculos versati sunt haec scribenti c. 13: *ἀγώγιμοι τοῖς δανείζουσιν ἦσαν, οἱ μὲν αὐτοῦ δουλεύοντες οἱ δ' ἐπὶ τῇ ξένῃ πιπρασκόμενοι* [1]).

Ex aliis post legislationem compositis carminibus, quibus Solon de hac agit, Plutarchus nonnullos praecipue memorabiles versus c. 15 (p. 344. 445 R.) c. 16 (p. 348 R.) c. 18 (p. 351 R. fr. 5 B.) affert. Duo priores loci e Solonis carmine trimetris iambicis pacto, quod apud Aristidem II, 356

1) Solonem qui populi duces (*δήμου ἡγεμόνας*) valde vituperat n a u c r a r o s designare atque petere putat Bergkius N. Jahrb. f. Philol. vol. 65 (1852) p. 388, quod equidem non probo. Sed quum omnino de his miram proferat opinionem, longiore opus est disputatione, quae huic loco non apta.

(fr. 36 B.) integrius legitur, depromti sunt. Ad Pisistrati tyrannidem nonnulla Solonis poëmata spectabant, ad quae fragmenta, quae apud Plutarchum c. 30 (fr. 11 B.) atque c. 3 inveniuntur, referenda sunt. Illo loco versuum ordo apud nostrum scriptorem, fortasse memoria lapsum, alius est atque apud Laert. Diog. I, 50 et Diod. Exc. Vat. III p. 24, hoc Plutarchus duo sine dubio ex diversis Salonis carminibus sumta disticha componit, ut demonstret, quam simplex et obsoleta Solonis rerum naturalium scientia fuerit. Nisi aliud de his versibus testimonium nobis suppeditaret, statuere possemus Solonem peculiare carmen de rebus naturalibus condidisse. Quod non factum esse evincunt Diodorus Exc. Vat. T. III p. 23 Df. atque Laert. Diog. I, 50. Ex his locis, quibus prius affertur distichon, apparet in eo similitudinem inesse. Solonis autem consilium Diodorus recte declarare videtur his verbis: *Λέγεται Σόλων καὶ προειπεῖν τοῖς Ἀθηναίοις τὴν ἐσομένην τυραννίδα δι' ἐλεγείων.* Quodsi Diodori fontem quaesiveris, de Ephoro, haud spernendo auctore, cogitandum erit, qui summa diligentia testimonia, quae in carminibus lyricis inerant, collegit. Alterum autem distichon Plutarchi (fr. 12 B.) ad idem carmen pertinere, ad quod versus ab illo Comp. Sol. et Publ. c. 2 allatos Bergkius coniicit, cui adstipulor.

Num pentameter c. 25 commemoratus ex carmine civili petitus sit, ambiguum, sed mihi quidem verisimile est.

In numerum civilium carminum Solonis id quoque referendum est, quod ad P h o c u m quendam, tetrametris trochaicis [1]) scriptum est. Ex hoc, quo poeta praecipue contra crimina se defendit, Plutarchus c. 14 (fr. 32, 33 B.) duas longiores particulas affert, atque versus c. 16 (p. 348 R. fr. 34 B.) laudati ad idem carmen pertinuisse videntur.

1) Miror Bergkium hoc in *Ἰάμβοις* ponere. Etiamsi carmina contumeliosa *ἰάμβους* intelligit, non aptum est, quum ei contumelia et ludibrium non insit.

Eidem vulgo assignantur verba Plutarchi c. 15 (p. 343) (*συγχέας*) *παντάπασι καὶ ταράξας τὴν πόλιν | ἀσθενέστερος γένηται τοῦ καταστῆσαι πάλιν | καὶ συναρμόσασθαι*, quae Solonis esse primus coniecit I. Bekkerus in diar. litt. Ien. 1810 nr. 187. Sed recto iudicio ductus Th. Bergkius hanc coniecturam reiecit.

His carminibus adiungimus ea, quae magis ad Solonis vitam privatam pertinent atque titulo *Ὑποθῆκαι εἰς αὑτὸν* comprehenduntur. c. 2 (p. 317 R.) atque comp. Sol. et Publ. c. 1 Plutarchus duos versus ex elegia a Stobaeo (floril. IX, 24) integra servata (fr. 13 B.) depromptos affert atque c. 2 (p. 316 R. fr. 24 B.) et c. 3 (fr. 15 B.) commemorat Solonis versus, qui etiam apud Theognidem inveniuntur. Quamvis obscurum sit, a quo profecti sint hi versus, tamen mihi multo veri similius videtur versus ex Solonis carminibus transiisse in Theognideam farraginem, quam contrarium factum esse. c. 2 Plutarchus Solonis illud: *Γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος* profert, ut ostendat Solonem *ἐραστὴν σοφίας* fuisse. Eodem autem pentametro inepte utitur c. 32 contra Platonem demonstraturus Soloni otii abundantiam fuisse. Neque alio testimonio c. 31 prolato quidquam probatur, namque Solonem versus (fr. 26 B.):

> *ἔργα δὲ Κυπρογενοῦς νῦν μοι φίλα καὶ Διονύσου*
> *καὶ Μουσέων ἃ τίθησ' ἀνδράσιν εὐφροσύνας*

senem scripsisse nihil nisi veri dissimilis Plutarchi coniectura est. Carmina amatoria Solonis, qualia Bernhardyus (II, 1 p. 446) statuit, memoriae prodita non sunt, ac quaeritur, num talia composuerit. Distichon autem illud, quod Plutarchus Amator. 5. (fr. 25 B.) a Solone iuvene scriptum memorat, ex alio carmine petitum videtur, quo non de amore solo agebat poeta, atque ex talibus singulis locis Plutarchus sine dubio conclusit venereo amore Solonem fuisse imbutum, quod in primo nostrae vitae capite his exprimit verbis: *ὅτι δὲ πρὸς τοὺς καλοὺς οὐκ ἦν ἐχυρὸς ὁ Σόλων οὐδ' ἔρωτι θαῤῥαλέος ἀνταναστῆναι, πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας, ἔκ τε τῶν ποιημάτων αὐτοῦ λαβεῖν ἔστι κτλ.*

Quod ad hunc Solonis amorem attinet, vix licebit sumere eum scelus posteriore tempore eminens in se admisisse, sed honesta atque pura integraque necessitudo statuenda est, qualis praesertim a Spartanis praecipuum ad iuvenes educandos subsidium habebatur (cf. Xenoph. de re publ. Laced. II, 13). Quo sensu etiam Solonis lex a Plutarcho c. 1 atque Aeschine c. Timarch. § 138 commemorata accipienda est, qua ille vetat servum amare puerum ingenuum. Nam qui existimare possumus Solonem et puerorum corruptionem atque vim iis allatam punitam velle (cf. Lysiae orat. de caed. Eratosth, § 32) et quasi adhortari ad has res exercendas? [1])

Ad Solonis res privatas praeterea nonnulla alia Solonis carmina spectant, quibus Plutarchus usus est. Postquam Solon leges tulit atque Athenienses sacramento obligavit, ut iis per decem annos (Herodoto (I, 29), per centum annos Plutarcho (c. 25) teste, quod minus verisimile) uterentur, peregre profectus est ac primum quidem in Aegyptum venit et prope Nili ora versatus est. Quod ut comprobet, Plutarchus c. 26 Solonis ipsius versum (fr. 28 B):

Νείλου ἐπὶ προχοῇσι Κανωβίδος ἐγγύθεν ἀκτῆς affert his verbis: *ὡς καὶ πρότερον αὐτός φησι.* Si illud *καὶ πρότερον* recte se habere putamus, una cum Bergkio (p. 432) nobis statuendum est illam elegiam iam ante id iter compositam esse, quod re publica Atheniensium legibus firmata suscepit. Quod quamvis statuere liceat, quum iam iuvenis longe peregrinatus (cf. Plut. Sol. 2.) fortasse etiam Aegyptum visisset, tamen a me impetrare non possum, ut id probem.

Verba *καὶ πρότερον* permira sunt atque equidem con-

1) cf. E. Hausdoerffer Zeitschr. f. Alterthumswissensch. ed. Bergk et Caesar IV (1846) nr. 13 p. 104.

fiteor me nescire, quid eis faciendum sit, quum coniecturae recentiorum virorum doctorum mihi non placeant. Velut Reiskius vocabulum *πρότερον* post *διέτριψεν*, Orellius post *φησι* transponendum putat, (sed vel sic positum illud me offendit) Westermannus autem atque Sintenisius suspicantur nihil esse nisi »variam lectionem voc. *πρῶτον* ad marginem olim adpictam« Sane omnia recte se haberent, si vocabulum *πρότερον* deesset. Hoc autem variam lectionem voc. *πρῶτον* esse vix adduci possum, ut credam, fortasse vero ab eo interpolatum est, qui vocabulum sequentibus verbis *χρόνον δέ τινα καί* oppositum desiderabat. Prorsus autem reiicienda est absurda Coraïs et Schaeferi sententia, qui hunc hexametrum eiusdem elegiae esse putant, cuius sit pentameter priori capite positus: *Ἔργμασιν ἐν μεγάλοις πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπόν* atque hexametro locum in carmine anteriorem, pentametro posteriorem fuisse. Namque ut sileam, »nullam (ut Westermannus recte annotat) Plutarchi esse in tam minutis rebus accurationem«, non intelligo, quomodo hic pentameter ad legislationem spectans apte sequi potuerit illum hexametrum, quo poeta de itineribus post legislationem susceptis agit, »nedum ut hi duo versus in unum distichum cum Bachio (Solonis carm. quae supersunt) p. 95 coniungendi sint.«

In Aegypto Solon Plutarcho teste etiam sacerdotes Psenophim Heliopolitanum et Sonchim Saïtanum cognovit. Sed dubito num hoc verum sit, quia posteriores Graeci Solonem cum omnibus illius aetatis illustribus viris congredientem facere studebant. Nec minus dubia mihi Platonis de Atlantide insula narratio videtur, quem c. 26 c. 31 c. 32 diserte nominatum Plutarchus sequitur. Ille enim Tim. p. 21 sqq. narrat Solonem ab Aegyptiis illam de Atlantide insula fabellam comperisse atque de ea carmen epicum condere coepisse. Quod opus Solonem propter otii inopiam imperfectum reliquisse Plato dicit, Plutarchus autem, qui Platonis rationem argumentis non idoneis refutare conatur, illud factum esse putat propter senectutem Solonis et operis

magnitudinem.[1] Plato autem opus, quod a Solone inchoatum ferebatur, longius prosecutus est. Sed priusquam illud absolvisset, mortuus est (cf. Plut. Sol. c. 32). Fortasse fama erat Solonem tale carmen componere coepisse, sed valde dubitaverim, num Platonis aetate reliquiae eius exstiterint, atque num re vera Solon primis velut lineis id designaverit. Atlantidem autem insulam ultra Herculis columnas sitam esse Plato ait, qua ex re Dunckerus (IV p. 299) collegit fabellam illam a Phoenicibus profectam atque in Solonis in insula Cypro commorantis notitiam perlatam esse, quia ab Aegyptiis comperire non potuisset, qui non ad Herculis columnas vela direxissent atque piorum insulas ad orientem vergere existimassent. Qua ratione universae narrationi fides detrahitur, neque ad coniecturas nobis descendendum esse puto, quibus tales fabellae veri similiores fiant.

Quamquam Denckeri suspicio non prorsus vana est, namque Solonem etiam Cyprum pervenisse atque Philocyprum regem ad Solos urbem condendam commovisse ipsius a Plutarcho c. 26 (fr. 19 B.) allatis versibus demonstratur, qui ex elegia ad Philocyprum scripta petiti sunt. Regem autem a Plutarcho recte Philocyprum nominatum esse ostendit Herodotus V, 113. Quod in Arati vita (p. 53 ed. Westerm.) hic rex *Κυπράνωρ* appellatur, hoc negligendum est neque opus est cum Engelio (Kypros I, 264 sqq.) duos statuere reges, quorum alter alteri successerit. Perperam autem Bernhardyus II, 1 p. 445 contra disertum Solonis testimonium iudicat grammaticos, qui soloecismum aliter explicare non potuissent, finxisse Solos urbem a Solone conditam esse. Solos vero, Ciliciae oppidum, a Solone originem atque nomen accepisse Laertius Diog. I, 51 atque Stephanus Byz. haud recte tradunt.

Denique carmen ad Mimnermum de vitae spatio scrip-

1) Utriusque causae recte se habere possent, si Solon tale carmen scribere coepisset.

tum commemorandum est, ex quo Plutarchus comp. Sol. et Publ. c. 1 distichon sumpsit (fr. 21 B.).

In Solonis carminibus fortasse etiam nonnulla legit Plutarchus, quae Solonem dicentem facit, velut ea, quae c, 14. 15. 18. 30. 31 inveniuntur, sed etiam ab aliis scriptoribus ea mutuari potuit.

Utrum Plutarchus omnino Solonis carminibus ita usus sit, ut aliquis accurate et diligenter ea perscrutatus potuerit, an multa et gravissima neglexerit incertum est, quum perpauca fragmenta alibi servata sint. Sed illud prope negaverim atque hoc affirmaverim. Namque inde quod singula male intellexit atque falsa coegit, apparere videtur eum monumenta illa antiquissima et gravissima non ea diligentia atque accuratione explorasse atque consuluisse, qua opus fuit.

Manifestum est Plutarchum Solonis carmina ipsum legisse, verisimile autem, ut iam supra monuimus, eum versus ex memoria afferre, quod variis erroribus probatur.

Vix autem sumere licet eum alterum gravissimum fontem, quem in Solonis vita conscribenda adhibere debuit et quem interdum laudat, ipsum legisse, libros dico ***Aristotelis***, summi philosophi atque omnium disciplinarum peritissimi hominis.

Sed hanc quaestionem nunc mittamus atque primum exploremus, quae ad Aristotelem, ut fontem principalem, redeant.

Atque haec praecipue ea erunt, quae ad Solonis legislationem pertinent, de qua Aristoteles in Atheniensium politia egerat. Quae pars erat magni operis collectanei, quod inscribebatur *Πολιτεῖαι* (ed. Mueller F. H. G. II p. 102—191. Valentinus Rose Aristoteles pseudepigraphus Lipsiae 1863 p. 393—537), cuius de ambitu atque dispositione alii alia tradunt. Sed »pro certo atque explorato sumi potest centum et quinquaginta octo politias atque singulas singulis operis sectionibus seorsim descriptas et suo quamque titulo et numero instructam fuisse.« (Rose p. 393.)

Quia vero »neque ordinis cuiusdam, quo singulae se politiae exceperint, vestigium ullum relinquatur nec vinculi, quo inter se omnes coniunctae fuerint, nec rerum nexus nec materiae ad finem quendam generalem usumque philosophicum praeparatae«, Roseus putat librum non Aristotelis philosophi, sed subditicium esse et a peripatetico quodam paulo post Aristotelis mortem conscriptum, qui historicus potius et philologus fuerit quam philosophus. Sed hae causae nequaquam sufficiunt ad librum, cuius naturam et indolem ex fragmentis perspicere non possumus, ab Aristotele, qui non in philosophia sola versatus est, abiudicandum atque optimo iure reiectae sunt ab Aemilio Heitzio (Die verlorenen Schriften des Aristoteles Leipzig 1865 p. 230 sqq.) Coniectura vero, quam hic proponit, politias non ab Aristotele ipso editas, sed thesaurum quendam [1]) congestum esse, mihi quidem valde arridet, quamvis iterum iterumque monendum sit e parvis, quae nobis servatae sunt, reliquiis nihil certi effici posse.

Testimoniorum vero ex Aristotele a Plutarcho in Solonis vita allatorum duo ex politiis deprompta esse verisimile est atque ea quidem, quae c. 25 (fr. 346 ed. Rose fr. 11 ed. Mueller) et c. 31 (fr. 348 R. fr. 14 M.) inveniuntur. Posteriore loco Plutarchus dicit miram illam de Solonis cinere per insulam Salaminem disperso narrationem quum ab aliis gravibus auctoribus tum ab Aristotele tradi, atque contra tantam auctoritatem eam reiicere vix licet [2]), sed fortasse Plutarchus Aristotelem, quamvis is illam rem fama nuntiari retulisset, eius auctorem reddidit. Id enim nostrum scriptorem alibi fecisse, infra demonstrabimus (cf. p. 23.) Apparet Aristotelem, quum de Solone ageret, illud commemorasse. Altero vero loco Plutarchus de columnis illis, quae ἄξονες vocabantur, Aristotelem testem producit his ipsis verbis: *Ἰσχὺν δὲ τοῖς νόμοις πᾶσιν εἰς ἑκατὸν*

1) Equidem addiderim: seu in ipsius (fortasse ad librum scribendum) seu in discipulorum usum.

2) Conferas Groteum (vol. II p. 124.)

ἐνιαυτοὺς ἔδωκε· καὶ κατεγράφησαν εἰς ξυλίνους ἄξονας ἐν πλαισίοις περιέχουσι στρεφομένους, ὧν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἐν πρυτανείῳ λείψανα μικρὰ διεσώζετο καὶ προσηγορεύθησαν, ὡς Ἀριστοτέλης φησί, κύρβεις. Quod testimonium plurimi faciendum in controversia de *ἄξοσι* et *κύρβεσι* diiudicanda, de quibus et veterum et recentiorum arbitria in magna inconstantia versantur. [1]) Aristoteles igitur, quocum consentiebant Eratosthenes et Polemo, qui item illas ipsi oculis viderant, legum tabulas *κύρβεις* appallavit neque ullum discrimen inter *ἄξονας* et *κύρβεις* agnovit, quod grammatici Aristophanes et Didymus statuerunt. Leges Solonis erant ligneis columnis incisae, quae propter formam *κύρβεις* et, quia versatiles erant, *ἄξονες* vocabantur. Leges autem postea additae lapideis columnis (*στήλαις*) inscriptae erant, quas posteriores saepe antiquo *κύρβεων* vocabulo significant. Hi etiam utrumque vocabulum interdum coniungunt. [2])

Aristotelem vero de Solonis legum tabulis in Atheniensium politia egisse docemur Harpocrationis lexico quod s. v. *κύρβεις* haec exhibet: *Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησίν· ἀναγράψαντες δὲ τοὺς νόμους εἰς τοὺς κύρβεις ἔστησαν ἐν τῇ στοᾷ βασιλείᾳ.* Hoc enuntiantum e Solonis apud Aristotelem historia sumtum esse, neque, quod coniicere possis, (cf. Rose p. 413) ad munus *γραμματέως* describeudum pertinuisse videtur. Sed de singulis quoque tabulis Aristotelem disputasse earumque argumentum accurate perscripsisse verisimile fit iis, quae apud Harpocrationem s. v. *σῖτος* (fr. 377 R. fr. 12 M.) leguntur: *σῖτος καλεῖται ἡ διδομένη πρόσοδος εἰς τροφὴν ταῖς γυναιξὶν ἢ τοῖς ὀρφανοῖς ὡς ἐξ ἄλλων μαθεῖν ἐστι καὶ ἐκ τοῦ Σόλωνος πρώτου*

1) cf. Preller Polemonis fragmenta Lipsiae 1838 p. 87.

2) Cf. Roseum p. 414 accuratissime de his rebus disserentem. De *κύρβεσι* conferas etiam Bernaysium Theophrast's Schrift ueber Froemmigkeit 1866 p. 165 sqq. I. G. Hullemani librum, qui inscribitur: Quaestiones Graecae I Solonis qui dicuntur *κύρβεις* et *ἄξονες* Amstelodami 1850, inspicere mihi nondum licuit.

ἄξονος καὶ ἐκ τῆς Ἀριστοτέλους πολιτείας, [1]) Itaque compluria, quae Plutarchus de singulis tabulis (c. 19. 23. 24) commemorat, ex Aristotele fluxerunt. Librum autem peculiarem *περὶ τῶν Σόλωνος ἀξόνων*, quem anonymus vitae Aristotelis scriptor affert, illum scripsisse vix crediderim. Neque vero solum his locis, quibus Aristotelis nomen appositum est, sed sine dubio multis aliis narratio Plutarchea ex Aristotelis politiis manavit. Velut ex Harpocratione s. v. *ἱππάς* et *θῆτες καὶ θητικόν* (fr. 344 R. fr. 9 et 10 M.) perspicimus Aristotelem eodem modo de civium divisione disputasse ac Plutarchum c. 18, ex Photio s; v. *πελάται* (fr. 345 R. quod fragmentum in Muelleri editione deest) eum de *ἑκτημορίοις* egisse, quorum Plutarchus c. 13 mentionem facit. Sed sine dubio non eum errorem commisit, qui Plutarchi socordiae imputandus est. Hic enim dicit *ἑκτημορίους* non quinque partes fructuum, sed sextam tantum pependisse. Quae Plutarchus c. 25 de iureiurando narrat, quod novem archontes ad saxum in foro positum dare debuerint, etiam apud Aristotelem inveniebantur, id quod ex Harpocratione s. v. *λίθος* (fr. 370 R. fr. 13 M) elucet. Praeterea Gellius N. A, II, 12 (fr. 347 R. fr. 11[a] M) multis verborum ambagibus legem illam Solonis refert a Plutarcho c. 20 breviter perstrictam, qua quisque seditione exorta alteriuti parti se adiungere iubebatur, atque Aristotelem laudat, qui in ligneis axibus eam scriptam esse dicat. Quod Plutarchus per occasionem c. 2 de Proti, Massiliae conditore, commemorat, accuratius enarrat in Massiliensium politia Aristoteles (fr. 503 R. fr. 239 M.). Sed hic quoque deprehendimus Plutarchum parum recte referentem, quod aut ipsius aut auctoris eius negligentiae tribuendum est, namque Aristotele teste Euxenus est conditor Massiliae eiusque demum filius

1) Ipse Aristoteles, suo iure Muellerus inquit, haud dubie leges Solonis eodem ordine, quo inter columellas distributae erant, in Rep. Athen. recensuerat. Aristotelem enim et non Didymum, ut Roseus opinatur, tabulam attulisse patet.

Protis. Fortasse Aristoteles in politiis etiam Epimenidis mentionem fecerat, de quo Plutarchus c. 12 agit. Servius enim ad Virg. Georg. I, 19 (fr. 342 R. 258 M.) annotat Epimenidem secundum Aristotelem Buzygem dictum esse, quia primus boves aratro subiunxisset, atque agros aravisset. Hoc testimonium nonnulli putant ex peculiari libello *περὶ εὑρημάτων* sumtum esse, quod exsculpserunt ex Clem. Alex. Strom. I p. 364. Pott. Sed talem librum Aristoteles non composuisse videtur [1]).

Quodsi locis supra laudatis, quibus Plutarchus ipse Aristotelem citat, verisimillimum erat, ex quibus Aristotelis scriptis testimonia petita essent, hoc certum est, quod ad tertium attinet, quum Plutarchus ipse addat. c. 11 enim ait (fr. 563 R. 265 M.) Amphictyones Solone suadente bellum contra Cirrhaeos suscepisse, id quod et alii et Aristoteles in Pythionicarum recensu testati sint. Hae victorum tabulae sine dubio ex literarum monumentis confectae sunt, quae in ea urbe erant, in qua dies festi agebantur. Atque haec *Δελφῶν ὑπομνήματα* Plutarchus ipse in eodem capite affert, ex quibus pateat ducem Atheniensibus in bello contra Cirrhaeos gerendo praefectum non Solonem, sed Alcmaeonem fuisse. Quae in illis inerant, Aristoteles accurate excerpsisse videtur.

Etiam ad Aristotelis Politica nonnulla, quae Plutarchus in Solone tradit, referenda videantur. Dubium autem esse potest, num id, quod noster scriptor c. 31 narrat Pisistratum apud Areopagum accusatum in iudicium venisse, ut rite se defenderet, ad Aristotelis Politica redeat, in quibus (Polit. V, 9, 22 (II, 1315^b 21 B.)) idem refertur, atque etiam verba

1) Cf. Chr. Brusskern De rerum inventarum scriptoribus Graecis Bonnae 1864 p. 6. Quod hic in eadem pagina annotat Valentinum Roseum prorsus ignorare talem Aristotelis librum, ab hoc crimine illum (ad Mülleri editionem (fr. 258) delegantem) vindicandum censeo. Sane Roseo de illo libro, qui re vera pseudepigraphus est, agendum fuit.

eatenus conspirant, ut apud utrumque verba *προσκληθεὶς εἰς Ἄρειον πάγον* inveniantur. Quod tamen Aristoteles dici, factum esse Plutarchus ait.

Praeterea animadvertendum Plutarchum nonnulla addere, quae Aristoteles omittat, tyrrannum necis reum factum esse, atque accusatorem vadimonium deseruisse. Haec Plutarchum non finxisse atque ex Aristotele hausisse crediderim. Namque quum is multa, quae in politicis obiter commemorat, in politiis uberius atque accuratius tractaverit (cf. quod ad Lygdamim attinet Aristot. Pol. V, 5, 1 (1305^a 41) cum Athen. VIII p. 348 A. (fr. 168 M.)) multos locos, qui vulgo ad politica referuntur, quibuscum in universum consentiunt, ad politias referendos esse mihi persuasum est, in quibus singula multo diligentius exposita erant. Itaque non nimiae audaciae est coniicere etiam de re supra commemorata Aristotelem accuratius in politiis disputasse.

Ita etiam de Pittaco, cuius Polit. III, 9, 6 (1285^a 37) meminit, in politiis eum plura dixisse statuerim atque ex eis hausta esse, quae noster de Pittaco c. 14 affert. Aemilius Heitz, qui idem de Plut. Lyc. 14 suspicatur, rectissime p. 240 monet Plutarchum [vel potius fontem eius!] nusquam politica nominare neque omnino ullam eorum notitiam prodere in vita Lycurgi, quum Lacedaemoniorum politia quinquies laudata atque sine dubio multo saepius adhibita sit. Hoc non solum ad Lycurgi, sed etiam ad alias vitas spectat. Alius vero locus, qui ex Aristotelis politicis derivatus videtur, est c. 2, verba dico: *καὶ Θαλῆν δέ φασιν ἐμπορίᾳ χρῆσθαι*, quibuscum conferenda Aristotelea Polit. I. 11 (1259^a 9).

Sed de hac re paulo altius repetere iuvat. Aristoteles enim l. l. narrat Thaletem, ut ostenderet, quam facile esset divitem fieri, praecognita futura olearum ubertate conduxisse olearia pecuniamque magnam sibi comparasse. Idem vero Hieronymus Rhodius in secundo libro commentariorum miscellaneorum (*τῶν σποράδην ὑπομνημάτων*) memoriae tradidit teste Laertio Diogene I, 26, qui auctorem suum ad

verbum exscribit »nec quidquam mutat, nisi quod in brevius contrahit« (Usener Anal. Theophr. p. 1) Utriusque autem verba ex adverso ponam:

Aristoteles:	Laertius Diog.
(*οἷον καὶ τὸ Θάλεω τοῦ Μιλησίου*) *ὀνειδιζόντων γὰρ αὐτῷ διὰ τὴν πενίαν ὡς ἀνωφελοῦς τῆς φιλοσοφίας οὔσης κατανοήσαντά φασιν αὐτὸν ἐλαιῶν φορὰν ἐσομένην ἐκ τῆς ἀστρολογίας ἔτι χειμῶνος ὄντος εὐπορήσαντα χρημάτων ὀλίγων ἀρραβῶνας διαδοῦναι τῶν ἐλαιουργίων τῶν τ' ἐν Μιλήτῳ καὶ Χίῳ πάντων, ὀλίγου μισθωσάμενον ἅτ' οὐδενὸς ἐπιβάλλοντος· ἐπειδὴ δ' ὁ καιρὸς ἧκε, πολλῶν ζητουμένων ἅμα καὶ ἐξαίφνης, ἐκμισθοῦντα, ὃν τρόπον ἠβούλετο, πολλὰ χρήματα συλλέξαντα ἐπιδεῖξαι ὅτι ῥᾴδιόν ἐστι πλουτεῖν τοῖς φιλοσόφοις, ἂν βούλωνται, ἀλλ' οὐ τοῦτ' ἐστι περὶ ὃ σπουδάζουσιν.*	(*Φησὶ δὲ καὶ Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν σποράδην ὑπομνημάτων, ὅτι*) *βουλόμενος δεῖξαι ῥᾴδιον εἶναι πλουτεῖν, φορᾶς μελλούσης ἐλαιῶν ἔσεσθαι, προνοήσας ἐμισθώσατο τὰ ἐλαιουργεῖα καὶ πάμπλειστα συνέλεξε χρήματα.*

Si utriusque narrationes comparaveris, invenies apud Hieronyum fere nullum legi vocabulum, quod apud Aristotelem desit, ita ut dubium esse non possit, quin Hieronymus Aristotelem exscripserit. Hic Hieronymus Rhodius (cf. Mülleri F. H. G. II p. 450 not. 1. Voss. de hist. gr. ed. West. p. 82) discipulus Aristotelis fuit (Athen. X p. 424 F.) atque Ptolemaeo primo regnante vixit. Praeter alios libros [1]) composuit *ὑπομνήματα ἱστορικά* Athenaeo teste, a quibus non diversa fuisse videntur *τὰ σποράδην ὑπομνήματα* a Laertio Diog. I, 26, 27 et II, 14 laudata [1]). Quo in opere praecipue de philosophis atque poetis egit. Verba igitur ab Hieronymo excerpta antiquissimum testimonium Politicorum esse, atque Spengelius (Ueber Aristotel. Politik. Abhandl. d. Münchn. Acad. V, 1 p. 44) et Heitzius p. 242 errare videntur putantes antiquissima testimonia esse indicis atque Alexandri Aphrodisiensis (qui Severo et Caracalla regnantibus vixit) ad Metaphys. p. 15, 6 Bon. Politicorum locum (p. 1254ᵃ 15) afferentis [2]). Diogenem vero narrationem Hieronymi ex Hermippo hausisse, atque apud eundem Plutarchum eam legisse arbitror.

1) Westermannus (not. ad Voss. l. l.) atque C. Müllerus ex Athen. X, 435 A: *Ἱερώνυμός τε ἐν ταῖς Ἐπιστολαῖς Θεόφραστόν φησι λέγειν ὅτι Ἀλέξανδρος οὐκ εὖ διέκειτο πρὸς τὰ ἀφροδίσια* perperam concluserunt Hieronymum etiam Epistolas scripsisse. Usenerus autem (Anal. Theophr. p. 9), qui recte intellexit Hieronymum testimonium ex Theophrasti Epistolis afferre, putat Hieronymum esse Cardianum illum. Qui quamvis in diadochorum historia illud commemorare potuerit, tamen mihi id obstare videtur, quod Athenaeus solo nomine *Ἱερώνυμος* plerumque Rhodium designat.

Omnino autem negaverim Plutarchum Aristotelem ipsum legisse, quod Heerenius, Haugius, alii existimant. Hi multis locis [3]) enuntiarunt atque asseverarunt Plutarchum, quantum potuisset, primarios atque optimos fontes adhibuisse. Quod testimonium honorificum ei non dandum esse opinor, immo affirmare licet eum quam maxime fontes derivatos (quos secundarios vocamus), qui ei aptiores erant, exscripsisse. Auctores vero citatos plerumque fontibus debet, quos tum tantum diserte nominat, cum de veritate eorum quae in iis leguntur dubitat. Quodsi in fonte multa testimonia ex aliis scriptoribus allata erant, etiam apud Plutarchum multa inveniuntur.

Iam si quaesiverimus, quibus fontibus Plutarchus in

1) Cf. Koepke de hypomn. graec. p. 12.

2) Si quis coniecerit Aristotelem illius rei etiam in politicis mentionem fecisse, equidem non prorsus refragabor, quamvis melius sit certa tenere quam incerta statuere.

3) cf. Haugii praef. p. IX: Man kann zu seiner Ehre sagen, dass er sich meistens an die besten Gewährsmänner gehalten hat.

Solonis vita conscribenda commode uti potuerit, ut Aristotelis adhibendi labore supersederet, primum eius grammatici nobis in mentem venire oportebit, quem Plutarchus in fronte vitae posuit, **Didymi** Chalcenteri. »Hunc tacite expilatum esse ab Herodiano, Athenaeo, Plutarcho, Plinio constat; huius ore loquuntur quotquot evolvimus lexica glossarumve congeries, quotquot manu versamus scholiorum collectiones« [1]. Hunc, Ciceronis aequalem, etiam librum *περὶ τῶν ἀξόνων τῶν Σόλωνος* [2] contra Asclepiadem quendam scripsisse, qui *τὰ τῶν ἀξόνων ἐξηγητικά* composuerat, Plutarchus Sol. c. 1 testatur. Quis Asclepiades hic fuerit, incertum est (fortasse *ὁ Ἀλεξανδρεύς* schol. Aristoph. Nubb. 37 cf. Lehrs Herodiani scripta tria p. 446). Didymei autem libri natura et indoles qualis fuerit ignoramus, sed fortasse inde, quod Plutarcho teste de Solonis patre egit, colligere licet eum non solum de Solonis legibus sed etiam de multis ad Solonis vitam pertinentibus rebus disputasse. Quod vero Didymus commemoravit Philoclem quendam [3] dicere Solonem (non Execestidae sed) Euphorionis filium esse, huic rei nihil tribuendum est. Ex illo autem Didymi libro fere omnia manasse mihi videntur, quae Plutarchus de institutis et legibus tradit. Atque huic quaestioni egregie viam munivit Valentinus Rose. Qui Plutarchum Didymi librum secutum esse arbitratur in ecloga illa et censura legum Solonearum (c. 19—24), quae maxime mirabiles essent, atque Didymum ipsum praecipue usum esse Demetri Phalerei libro *περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας* [4]: huius enim et Atheniensis (non

1) cf. M. Schmidt Didymi fragmenta Lipsiae 1854 p. 9.

2) cf. M. Schmidt p. 399.

3) In Doehneri editione Plutarchi verba: *ἐν τῇ . . ἀντιγραφῇ πρὸς Ἀσκληπιάδην Φιλοκλέους τινὸς τέθεικε λέξιν* latine reddita sunt ita: in libro, quo Asclepiadi Philoclis filio respondit, . . appellat! Manifestum est verba *Φιλοκλέους τινός* ad *λέξιν* pertinere.

4) Nescio an Demetrius potissimum ad Aristotelis auctoritatem se adstrinxerit.

Plutarchi) verba esse coniicit, quae legantur c. 21: *ὧν τὰ πλεῖστα καὶ τοῖς ἡμετέροις νόμοις ἀπηγόρευται· πρόσκειται δὲ τοῖς ἡμετέροις ζημιοῦσθαι τοὺς ταῦτα ποιοῦντας ὑπὸ τῶν γυναικονόμων.*

Quae verba si Plutarchea duxeris, tibi statuendum erit una cum Boeckhio (Ueber die Atthis des Philochorus Abh. d. Berl. Acad. 1832 p. 24) Plutarchum de gynaeconomis patriae urbis Chaeroneae dicere. Sed de his alibi nihil traditum est, neque intelligimus, quid horum commemoratio in Solonis vita sibi velit. Haec vero *ἀρχὴ οὐ δημοτική* (Aristot. Pol. IV, 12, 9 VI, 5 fin.) Athenis Demetrii Phalerei demum legislatione ad aristocratiam vergente instituta esse potest (itaque etiam Philochorus septimo demum Atthidos libro, quo de Demetrio agit, eam commemorat, cf. Athen. VI, 11 p. 245 C fr. 143 Müller (I p. 408)), ita ut verisimile sit verba supra allata ex Demetrii libro excerpta esse. Accedit quod Demetrium Plutarchus ipse in hac vitae parte (c. 23 fr. 8 M. II p. 363) citat atque narrationis, quae apud Plutarchum nostrum locum antecedit, auctorem eum Cicero de legg. II, 25 affert (quod fragmentum in Mülleri editione (II p. 362 sqq.) deest). Aptissime contuleris etiam Plutarchi Aristid. c. 27: *αὐτὸς μέντοι φησὶν ὁ Δημήτριος νομοθετῶν ἀντὶ τριωβόλου δραχμὴν ἑκατέρᾳ τάξαι τῶν γυναικῶν* (neque hoc fragmentum apud Müllerum invenitur). Quae si recte disputata sunt, magnum crimen confertur in Plutarchum, qui inepte transscripserit, neque tale opprobrium mihi falsum videtur.

A Didymo fortasse etiam Ister testis prolatus erat, qui in Atticis de ficorum evectu atque sycophantis disputaverat, cuiusque verba Athenaeus III p. 74 D. servavit (a Müllero I p. 423 loco alieno posita ac mirum in modum cum loco Plutarchei de musica libri coniuncta, qui ad aliud Istri opus *Ἀπόλλωνος ἐπιφάνειαι* inscriptum referendus est [1]). Istrum

1) Ath. III p. 74 D: *Ἴστρος δ' ἐν τοῖς Ἀττικοῖς οὐδ' ἐξάγεσθαί φησι τῆς Ἀττικῆς τὰς ἀπ' αὐτῶν γενομένας ἰσχάδας, ἵνα μόνοι ἀπολαύοιεν*

Solonis vita conscribenda commode uti potuerit, ut Aristotelis adhibendi labore supersederet, primum eius grammatici nobis in mentem venire oportebit, quem Plutarchus in fronte vitae posuit, **Didymi** Chalcenteri. »Hunc tacite expilatum esse ab Herodiano, Athenaeo, Plutarcho, Plinio constat; huius ore loquuntur quotquot evolvimus lexica glossarumve congeries, quotquot manu versamus scholiorum collectiones« [1]). Hunc, Ciceronis aequalem, etiam librum *περὶ τῶν ἀξόνων τῶν Σόλωνος* [2]) contra Asclepiadem quendam scripsisse, qui *τὰ τῶν ἀξόνων ἐξηγητικά* composuerat, Plutarchus Sol. c. 1 testatur. Quis Asclepiades hic fuerit, incertum est (fortasse *ὁ Ἀλεξανδρεύς* schol. Aristoph. Nubb. 37 cf. Lehrs Herodiani scripta tria p. 446). Didymei autem libri natura et indoles qualis fuerit ignoramus, sed fortasse inde, quod Plutarcho teste de Solonis patre egit, colligere licet eum non solum de Solonis legibus sed etiam de multis ad Solonis vitam pertinentibus rebus disputasse. Quod vero Didymus commemoravit Philoclem quendam [3]) dicere Solonem (non Execestidae sed) Euphorionis filium esse, huic rei nihil tribuendum est. Ex illo autem Didymi libro fere omnia manasse mihi videntur, quae Plutarchus de institutis et legibus tradit. Atque huic quaestioni egregie viam munivit Valentinus Rose. Qui Plutarchum Didymi librum secutum esse arbitratur in ecloga illa et censura legum Solonearum (c. 19—24), quae maxime mirabiles essent, atque Didymum ipsum praecipue usum esse Demetri Phalerei libro *περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας* [4]): huius enim et Atheniensis (non

1) cf. M. Schmidt Didymi fragmenta Lipsiae 1854 p. 9.

2) cf. M. Schmidt p. 399.

3) In Doehneri editione Plutarchi verba: *ἐν τῇ.. ἀντιγραφῇ πρὸς Ἀσκληπιάδην Φιλοκλέους τινὸς τέθεικε λέξιν* latine reddita sunt ita: in libro, quo Asclepiadi Philoclis filio respondit, .. appellat! Manifestum est verba *Φιλοκλέους τινός* ad *λέξιν* pertinere.

4) Nescio an Demetrius potissimum ad Aristotelis auctoritatem se adstrinxerit.

Plutarchi) verba esse coniicit, quae legantur c. 21: *ὧν τὰ πλεῖστα καὶ τοῖς ἡμετέροις νόμοις ἀπηγόρευται· πρόσκειται δὲ τοῖς ἡμετέροις ζημιοῦσθαι τοὺς ταῦτα ποιοῦντας ὑπὸ τῶν γυναικονόμων.*

Quae verba si Plutarchea duxeris, tibi statuendum erit una cum Boeckhio (Ueber die Atthis des Philochorus Abh. d. Berl. Acad. 1832 p. 24) Plutarchum de gynaeconomis patriae urbis Chaeroneae dicere. Sed de his alibi nihil traditum est, neque intelligimus, quid horum commemoratio in Solonis vita sibi velit. Haec vero *ἀρχὴ οὐ δημοτική* (Aristot. Pol. IV, 12, 9 VI, 5 fin.) Athenis Demetrii Phalerei demum legislatione ad aristocratiam vergente instituta esse potest (itaque etiam Philochorus septimo demum Atthidos libro, quo de Demetrio agit, eam commemorat, cf. Athen. VI, 11 p. 245 C fr. 143 Müller (I p. 408)), ita ut verisimile sit verba supra allata ex Demetrii libro excerpta esse. Accedit quod Demetrium Plutarchus ipse in hac vitae parte (c. 23 fr. 8 M. II p. 363) citat atque narrationis, quae apud Plutarchum nostrum locum antecedit, auctorem eum Cicero de legg. II, 25 affert (quod fragmentum in Mülleri editione (II p. 362 sqq.) deest). Aptissime contuleris etiam Plutarchi Aristid. c. 27: *αὐτὸς μέντοι φησὶν ὁ Δημήτριος νομοθετῶν ἀντὶ τριωβόλου δραχμὴν ἑκατέρᾳ τάξαι τῶν γυναικῶν* (neque hoc fragmentum apud Müllerum invenitur). Quae si recte disputata sunt, magnum crimen confertur in Plutarchum, qui inepte transscripserit, neque tale opprobrium mihi falsum videtur.

A Didymo fortasse etiam Ister testis prolatus erat, qui in Atticis de ficorum evectu atque sycophantis disputaverat, cuiusque verba Athenaeus III p. 74 D. servavit (a Müllero I p. 423 loco alieno posita ac mirum in modum cum loco Plutarchei de musica libri coniuncta, qui ad aliud Istri opus *Ἀπόλλωνος ἐπιφάνειαι* inscriptum referendus est [1]). Istrum

1) Ath. III p. 74 D: *Ἴστρος δ' ἐν τοῖς Ἀττικοῖς οὐδ' ἐξάγεσθαί φησι τῆς Ἀττικῆς τὰς ἀπ' αὐτῶν γενομένας ἰσχάδας, ἵνα μόνοι ἀπολαύοιεν*

enim Plutarchus sine dubio his petit verbis c. 24: *οὐκ ἂν οὖν τις ἡγήσαιτο παντελῶς ἀπιθάνους τοὺς λέγοντας ὅτι καὶ σύκων ἐξαγωγὴ τὸ παλαιὸν ἀπείρητο καὶ τὸ φαίνειν ἐνδεικνύμενον τοὺς ἐξάγοντας κληθῆναι συκοφαντεῖν.*

In illo libro Didymus etiam ea composuisse, quae varii scriptores de *κύρβεσι* tradebant, atque locos, quibus id vocabulum apud comicos inveniebatur, et inter alios etiam Cratini versus a Plutarcho c. 25 commemoratos (Meineke fr. com. gr. II p. 218) attulisse videtur. Polemonem quoque citatum esse verisimile est, quem Harpocratio s. v. *ἄξονι* (Didymum secutus) testem producit: *οἱ Σόλωνος νόμοι ἐν ξυλίνοις ἦσαν ἄξοσι γεγραμμένοι· ἦσαν δὲ ὥς φησι Πολέμων ἐν τοῖς πρὸς Ἐρατοσθένην τετράγωνοι τὸ σχῆμα· διασώζονται δ' ἐν τῷ πρυτανείῳ.* Haec postrema verba a Plutarcho transscripta leguntur c. 25 *ὧν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἐν πρυτανείῳ λείψανα μικρὰ διεσώζετο.* Num iis, quae Plutarchus addit, fidem habere liceat, cum Roseo valde dubitaverim. Nequaquam vero statuendum est Plutarchum Solonis leges ipsum vidisse, id quod Heerenius p. 27 atque Groteus II, p. 70 existimant. Immo tantum abest, ut eas ipse viderit, ut ne Aristotelis quidem libros ipse legerit, qui accuratissime de eis egerat, sed eius viri docti librum excerpserit, qui ei omnia expediverat.

Quoniam vero antea sermo de Polemone incidit, liceat illico coniecturam annectere Plutarchi verba c. 10 *καὶ δῆμον ἐπώνυμον Φιλαίου τῶν Φιλαϊδῶν ἔχουσιν, ὅθεν ἦν Πεισίστρατος* a Polemonis libro, qui inscribebatur *ἀναγραφὴ τῶν ἐπωνύμων τῶν δήμων καὶ φυλῶν* (cf. Prellerum p. 41.), repetenda esse. Crediderim autem etiam hoc eum per Didymum accepisse, qui librum peculiarem eiusdem tituli composuit (cf. M. Schmidt p. 352) atque fortasse Polemonem imitatus aut certe eo usus est. Sed hoc etiam in alio Didymi

οἱ κατοικοῦντες καὶ ἐπεὶ πολλοὶ ἐνεφανίζοντο διακλέπτοντες, οἱ τούτους μηνύοντες τοῖς δικασταῖς ἐκλήθησαν τότε πρῶτον συκοφάνται.

libro ac fortasse in supra laudato inveniri potuit. Ceterum quomodo Westermannus in Solonis editione ad hunc locum annotare potuerit Pisistratum certe non fuisse natum ex demo sed ex familia Philaidarum [1]), equidem non assequor. Quum in demis ante Clisthenis aetatem commemoratis offendat, putare videtur Plutarchum haec vecba, quae ipse (vel auctor eius) addidit, Solonem dicentem facere. [2]) Pisistratum autem ex familia Philaidarum ortum esse falsum est, namque originem a Neleo traxit (cf. Herod. V, 65 Paus. II 18, 8.)

Quodsi coniecturae supra propositae Didymum in libro *περὶ τῶν ἀξόνων τῶν Σόλωνος* etiam de rebus ad Solonis vitam pertinentibus disputasse indulgemus, suspicari possumus Didymum in illo Aristotelem (Pythionicas) atque Aeschinem (or. adv. Ctesiph. § 108), quos Plutarchus eodem loco (c. 11)laudat, attulisse, ut ostenderet Solonem bello Cirrhaeos ducem non fuisse. Sed quum a Plutarcho etiam Hermippus illo loco citetur, apud hunc fortasse illa testimonia collecta Plutarchus reperit. Roseo autem (p. 548) »Plutarchus ex commentario quodam ad Aeschinis locum (fortasse Didymi) Pythionicarum auctorem citavisse videtur e variis fontibus sparsam Solonis vitam consuens lacunasque vix explens orationis specie.« Idem putat ea quae Plutarchus narrat de *κύρβεσι*, ex Didymi lexico comico fluxisse. Hoc forsitan concesserim, sed Plutarchum multum operae laborisque in Didymi commentariis accurate perlegendis consumpsisse mihi persuadere non possum.

In libro autem de Solonis legum tabulis componendo Didymus quum aliorum tum Aristotelis libros in usum suum

1) In eodem errore versantur Luebker Reallex. s. v. Pisistratus atque Schneidewin-Nauck Sophocl. I, p. 64 (Von seinen (Aias) Soehnen Eurysakes und Philaeos leiteten sich die vornehmsten Eupatridengeschlechter ab, wie die Pisistratiden, Miltiades und Kimon etc.)

2) Plutarchi verba multi male intellexisse videntur velut G. Wolff, qui praef. ed. Soph. Ai. p. 5 ait: (Solon wies nach) der Attische Demos Philaidae heisse nach Philaeus.

convertisse eiusque vestigia praecipue pressise mihi videtur, ita ut plerumque Plutarcho fidem habere possis. Dolendum vero est nostrum soriptorem interdum parum diligenter legisse atque excerpsisse, ita ut, si ab oratoribus atticis lex Solonea aliter atque a Plutarcho proferatur, plerumque huic diffidendum sit, »qui non iisdem verbis leges neque eodem ordine singulas earum partes reddere solet« (Westerm. ed. Sol. p. 53). Fortasse hoc interdum eo explicandum est, quod Plutarchus e variis relationibus, quas Didymus composuerat, unam elegit eamque nequaquam accuratissimam et certissimam. Nec vero hae coniecturae tam certae sunt, ut eis alias superstruere possis.

Nonnullis autem locis difficillimum erit diiudicare, utrum Plutarchus ea, quae narrat, a Didymo an ab alio secundario fonte mutuatus sit. Quod non pertinere ad Heraclidis librum *περὶ πολιτειῶν*, ex quo excerpta quaedam restant [1]), mihi persuasum est. Hic duabus gravissimis rebus cum Plutarcho consentit. Ac primum quidem Solonis remedium quod *σεισάχθεια* vocatur, *χρεῶν ἀποκοπήν* fuisse tradit I, 5 velut Plutarchus c. 15, deinde novem archontes nominantur *ἄρχοντες θεσμοθετικοί*, quibus vocabulis respondet Plutarcheum *θεσμοθέται* c. 25, quod plerumque ad sex postremos archontes designandos usurpatur (cf. Boeckh C. I. G. I p. 440). Omnes vero archontes designandos fuisse demonstrant Plat. Phaedr. p. 235 D atque Pollux VIII, 35. De huius libri origine inter viros doctos magna est controversia. Is qui accuratissime de hac re disseruit, Schneidewinus (Heraclidis Politiarum, quae extant Gott. 1847) putat illum ab Heraclide quodam ex Aristotelis politiis excerptum esse. Cui equidem primum assensus, quod ad hanc de Plutarchi fontibus quaestionem attinet, ita ratiocinatus sum: Quum necesse aut certe verisimillimum sit illa vocabula (*χρεῶν ἀποκοπή* atque *ἄρχοντες θεσμοθετικοί*) etiam in Aristotelis libro fuisse, quaeritur utrum Plutarchus ex Heraclidis libro an ex Di-

1) ed. Mueller F. H. G. II, 208 sqq.

dymi hauserit, namque Didymus quoque Aristotelem exscribere potuit. Hanc quaestionem ita solvendam putabam, ut a Plutarcho Didymum expilatum esse statuerem, praecipue eo nisus, quod altero loco (c. 15) vestigia Didymi deprehendimus [1]), atque Plutarchus hic etiam alium citat auctorem, qui a plerisque dissentiat, namque Didymus varias sententias colligere solebat. Hic vero scriptor est Androtio, qui Athenis natus atque lite, quae ei cum Demosthene erat, omnibus notus exul Megarae Atthidem conscripsit. [2]) In hac (fr. 40 M. I p. 375) dixit seisachthiam non remissionem aeris alieni, sed usurarum moderationem fuisse, atque simul numorum pretium auctum esse. Quae sententia, quam etiam Philochorus amplexus est, sola recta mihi videtur.

Sed id, quod Schneidewinus pro explorato posuit confidentius, in dies magis dubium mihi videbatur, quia (ut Muelleri verbis utar) inde quod in fragmentis nonnulla leguntur, quae ad verbum fere ex Aristotele descripta sunt, minime sequitur reliqua omnia, quae in summa re non dissentiunt ab Aristotele, totumque adeo libellum ex Aristotele esse excerpta. Iam vero non dubito in Rosei sententiam discedere, quam Arist. Pseudepigr. p. 400 proposuit his usus verbis: »Ex copiis Didymeis fluxerunt Heraclidis cuiusdam recentioris collectanea *περὶ πολιτειῶν*, ex quibus librarii istius Byzantini opera desultoria nunc excerpta quaedam fortuita remanent.«

Heraclidem vero Ponticum, qui vulgo illius libri auctor habetur, Plutarchus prae aliis saepe testem producit in nostra vita, sed nequaquam inde concludere licet eum

1) Conferas Plutarchi verba c. 15: *Ἃ δ' οὖν οἱ νεώτεροι τοὺς Ἀθηναίους λέγουσι τὰς τῶν πραγμάτων δυσχερείας ὀνόμασι χρηστοῖς καὶ φιλανθρώποις ἐπικαλύπτοντας ἀστείως ὑποκορίζεσθαι.. τοὺς δὲ φόρους συντάξεις.. καλοῦντας* cum Harpocrat. s. v. *σύνταξις: ἔλεγον δὲ καὶ τοὺς φόρους συντάξεις, ἐπειδὴ χαλεπῶς ἔφερον οἱ Ἕλληνες τὸ τῶν φόρων ὄνομα.*

2) Cf. A. Schaefer Demosth. u. s. Z. I p. 351.

praecipue a Plutarcho adhibitum esse. Ex quo Heraclidis libro ea sumta sint, quae Plutarchus c. 1, 22, 31, 32 affert, dubium est. Aptissime conieceris nonnulla (c. 22, 31) ex libro *περὶ νόμων καὶ τῶν συγγενῶν τούτοις* deprompta esse, sed talia singula etiam in libris Heraclidis ad moralem philosophiam spectantibus commemorata esse possunt, qui exemplis ex historia petitis referti erant. Locorum vero primus atque postremus digni sunt, de quibus paucis disputemus. c. 1 enim Plutarchus ait: *Τὴν δὲ μητέρα τοῦ Σόλωνος Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἱστορεῖ τῆς Πεισιστράτου μητρὸς ἀνεψιὰν γενέσθαι.* Ad haec verba Westermannus in commentario annotat (cf. Corr. et Add. p. 95 Pauly Realenc. s. v. Pisistratus) Heraclidem falli dicentem Solonis et Pisistrati matres consobrinas fuisse, quum temporis rationes id non admittant. At ut recte se habeat haec causa, tamen vocabulum *ἀνεψιὰν* sensu latiore de quovis cognationis gradu accipere licet, quo Plutarchus ipse usurpavit vit. Alex. c. 55. Sed ego quoque dubitaverim, num Heraclidae fides habenda sit. Nam quum postea causas quaererent, quibus commotus Pisistratus comitate atque familiaritate in Solonem usus esset, facile inter alias (de amore venereo supra egimus) cognatio fingi potuit. Quia vero Laertius Diogenes I, 49 dicit: *Πεισίστρατον τὸν συγγενῆ καθά φησι Σωσικράτης*, putaverim Plutarchum ex eodem ac Sosicratem fonte hausisse, ex Hermippo. Postremo autem capite Plutarchus duo inter se diversa de tempore, quo Solon mortuus sit, testimonia affert. Heraclides enim Ponticus eum multo post Pisistrati tyrannidis initium superstitem fuisse narravit, Phanias autem Eresius eum Hegestrato archonte mortuum esse tradidit, qui in Comiae locum successisset, quo archonte Pisistratus tyrannus factus esset. Sine dubio accurato Phaniae Eresii testimonio, qui a Plutarcho Themist. c. 13 *ἀνὴρ φιλόσοφος καὶ γραμμάτων ἱστορικῶν οὐκ ἄπειρος* vocatur, magis confidendum est quam Heraclidis Pontici verbis, quem Plutarchus Cam. 22 *μυθώδην καὶ πλασματίαν* appellat.

Quo in libro Phanias de Solone egerit, incertum est Plerique una cum Eberto Diss. Sic. p. 86 atque Boeckhio C. I. II. p. 305 statuunt ea, quae Plutarchus c. 14 et c. 32 ab eo tradita refert, ex opere *περὶ πρυτάνεων Ἐρεσίων* derivata esse, quod Boeckhius praecipuum Chronici Parii fontem fuisse suspicatur. Quodsi concedimus Phaniam hoc libro secundum seriem prytanum Eresiorum res graviores in Attica gestas nominibus Atticorum archontium additis notasse (neque enim ulla est causa, cur hoc cum Muellero II. p. 293 negemus) huic chronologico operi ea quidem, quae de Solonis morte afferuntur, assignari possunt, sed vix crediderim ex eo depromtum esse id, quod Plutarchus c. 14 narrat Solonem in legibus ferendis fallaciam fecisse pollicendo pauperibus se agros divisurum, divitibus se syngraphas servaturum esse, quam fabellam curare non debemus. Fortasse cum Muellero de opero historico cogitandum est, cuius titulum nunc ignoramus, namque veri dissimile est illa in libro *περὶ ποιητῶν* fuisse scripta, quod Dietschius N. Jahrb. f. Phil. v. 65 (1852) p. 315 opinatur. Phanias a Plutarcho saepissime in Themistoclis vita ac de levissimis quidem rebus citatur, atque haec testimonia ex peculiari libro *περὶ βίων* fluxisse putat etiam C. Schilderus, De rerum scriptoribus, quibus Plutarchus in Themistoclis vita perscribenda usus est Progr. Leobschuetz. Breslau 1850.

Tales *περὶ βίων* libri apud Peripateticos usitatissimi erant. Sed quaeritur nonnunquam, utrum vitae an dissertationes de vitae generibus statuendae sint, quales Heraclidis Pontici, Clearchi, aliorum libri *περὶ βίων* erant. Sed etiam tales libri largissima exemplorum ex historia petitorum copia illustrati erant. Etiam Theophrastus talem librum composuit, quem Laert. Diog. V, 42 (Usener Anal. Theophr. p. 4, 5) commemorat. Theophrastum vero, quem Plutarchus saepissime in vitis citat, in nostra bis testem producit. Ac c. 4 quidem Plutarchus refert Theophrastum ordinem septem sapientium, apud quos tripus notissimus circumierit, aliter

ac plerosque constituere, c. 31 autem narrat Theophrasto teste illam de inertia legem non a Solone sed a Pisistrato latam esse. Quorum testimoniorum prius librum *περὶ τῶν* (*ἑπτὰ*) *σοφῶν* (Us. p. 10, 10), posterius ad scriptum *περὶ νομοθετῶν* (Us. p. 6, 10) referendum videtur, hoc vero etiam ex libro *νόμων κατὰ στοιχεῖον* (Us. p. 6, 5) vel *περὶ βασιλείας* (Us. p. 4, 4) [*περὶ τυραννίδος* Us. p. 7, 10] repetitum esse potest.

Existit autem iterum quaestio, utrum Plutarchus scriptoribus, de quo modo egimus, ipse usus sit an ex fonte derivato compererit, quae illi tradiderunt. Equidem non vereor, ne a vero aberrem affirmans eum illorum narrationes in eius libris invenisse, quem praeter Solonem et Didymum tertium auctorem adhibuit, i. e, **Hermippi** [1]). De huius aetate atque libris variae sunt virorum doctorum discrepantesque sententiae. Ac plerique quidem putant eum Smyrnaeum (Athen. VII, 327 C) atque Callimachi discipulum (*Καλλιμάχειον* Athen. II p. 58 F, V p. 213 F, XV p. 696 F) fuisse atque Ptolemaeis tertio et quarto regnantibus vixisse. Nauckius vero Philol. V (1850) p. 692 sqq. praecipue Laertii Diogenis loco (VI, 99 fr. 39 M.) nisus, ex quo apparet Menippum Cynicum circa a. 140 viventem (cf. Oehler Varronis Satur. reliqq. p. 41 sqq.) ab Hermippo commemoratum esse, coniicit Hermippum Callimachium eundem esse atque Hermippum Berytium, Philonis Byblii discipulum, qui Hadriano regnante vixit, ita ratiocinatus: Quum Laertius Diogenes saepissime Hermippum cognomine non addito citet, statuendum est eum etiam hoc loco eundem testem proferre. Quum igitur hic Hermippus sine dubio Berytius ille sit, qui librum *περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαπρεψάντων δούλων* [2]) composuit, idem omnibus ceteris locis citatur.

1) Hermippi fragmenta ed. Adalb. Lozynski Bonn 1832. Mueller II. p. 35 sqq.

2) Et Menippus et Hermippus Berytius servi erant. Ceterum plerique ex Etym. M. p. 118, 11 (fr. 72 M.) perperam concluserunt Hermippum Callimachium librum *περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων* composuisse, quod recte reiecerunt Muellerus l. l. atque C. Wachsmuthius Symbol. philol. Bonn. p. 143. Ille enim titulus ad Berytii opus referendus est.

Sed me iudice Laertius Diogenes, qua est negligentia, Hermippum Berytium, ex quo hoc loco hausit, et Hermippum Callimachium, quem plerumque sequitur, non discernit. Nauckii opinioni cognomen Callimachii obstare videtur, quod tamen artificiose ita explicare potes, ut dicas id significare eum, qui Callimachi modo scribat. Aequalem autem Plutarchus vix tam saepe citasset atque expilasset.

Hermippum vero Callimachium verisimile est composuisse opus, quod *Βίοι* inscriptum ex compluribus partibus constabat, quarum cuique peculiaris erat titulus (cf. Preller Jahrbb. f. Phil. XVII (1836) p. 165 sqq. Franc. Aem. Bohren, De septem sapientibus Bonnae 1867. p. 11 sqq.). Itaque libri *περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν* atque *περὶ νομοθετῶν* singulae tantum partes illius operis fuisse videntur. Ex iis sine dubio Plutarchus multa excerpsit atque ad verbum fere exscripsit. Ac verisimile quidem est Hermippum ea quae ad Solonis legislationem pertinent in opere *περὶ νομοθετῶν*, cetera in opere *περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν* narrasse, quorum hoc quatuor, illud sex minimum libris constabat.

Tribus autem locis c. 2, 6, 11 Hermippus diserte a Plutarcho laudatur. Ex duobus posterioribus cernimus Hermippum ipsum auctores suos nominare solitum esse. c. 11 enim Plutarchus dicit Hermippum Euanthem Samium [1]) citare et c. 6 in fine narrationis de Solonis et Thaletis colloquio addit: *Ταῦτα μὲν οὖν Ἕρμιππος ἱστορεῖν φησι Πάταικον ὃς ἔφασκε τὴν Αἰσώπου ψυχὴν ἔχειν.* Quae postrema verba Plutarchus, qui de veritate illius narrationis nequaquam dubitat, apud Hermippum invenisse videtur ne-

1) Hic fortasse idem est atque Euanthes Milesius, qui de septem sapientibus egit, a Laert. Diog. I, 29 testis prolatus. cf. Mueller III. p. 2 not.

que significanter ironiceque addidit, ut G. H. Schaeferus existimat. Pataecum autem illum Prellerus coniicit fabularum scriptorem fuisse, nomen vero fictum esse verisimillima est Welckeri (Kl. Schr. II. p. 249 sq.) sententia.

Ex his locis tuo iure collegeris Hermippum quum multos alios scriptores tum Theophrastum, Heraclidem Ponticum, Phaniam testes produxisse. Theophrasto vero eum usum esse certo contendere possumus, quia ille quoque libros de septem sapientibus atque legislatoribus composuerat. Praeterea Hermippus sine dubio praecipue Aristotelis politias in usum suum convertit.

Hermippum vero etiam alibi, quamvis non nominatum, a Plutarcho expilatum esse et per se verisimile est et luculente demonstratur per Laertium Diogenem, qui I, 101 Hermippum laudans eodem modo ac Plutarchus c. 5 narrat, quomodo Anacharsis Athenas ad Solonem venerit atque ab eo hospitium petiverit.

Constat Laertium praecipue Hermippum secutum esse, nec vero ipse illius libros legisse videtur, sed Favorinum, Appollodorum, Sosicratem excerpsit, qui ex Hermippo hauserant [1]). Hinc sequitur etiam Plutarchum iis locis, quibus cum Laertio consentit, Hermippi vestigiis insistere.

Permirum consensum utriusque reperimus in illa de tripode narratione, qui, quum Pythia iussisset eum sapientissimo homini dari, ab alio sapienti ad alium migrabat. In fine capitis quarti [2]) Plutarchus varias relationes, sed parum accurate his affert verbis: *τὸ δῶρον ἀντὶ τοῦ τρίποδος οἱ*

1) Exploratio fontium Laertii Diogenis, adhuc prorsus neglecta, maximi est momenti, sed, quum non huius sit loci, mihi in aliam opportunitatem differenda.

2) Ex Plutarchi verbis, quibus initio capitis de septem sapientibus usus est: *γενέσθαι δὲ μετ' ἀλλήλων ἐν Δελφοῖς ὁμοῦ λέγονται καὶ πάλιν ἐν Κορίνθῳ* non colligere licet Plutarchum de narratione dubitare, id quod statuit O. Bernhardt, Die sieben Weisen Griechenlands Progr. Sorau 1864 p. 6.

μὲν φιάλην ὑπὸ Κροίσου πεμφθεῖσαν, οἱ δὲ ποτήριον Βαθυκλέους ἀπολιπόντος, εἶναι λέγουσιν. Accuratiora de his rebus tradit Laertius Diogenes I, 28. Multa testimonia coacervat, ex quibus cernitur eos scriptores, quos Plutarchus vocabulis *οἱ μὲν* significat, Eudoxum Cnidium atque Euanthem Milesium fuisse, ceteros (*οἱ δὲ*) Leandrum Milesium, Callimachum (in iambis), Eleusim (in libro de Achille scripto), Alexandrum Myndium (in octavo *τῶν μυθικῶν* libro). Leander hic commemoratus (qui non dignoscendus videtur a Maeandrio Milesio cf. Mueller II p. 334) *Μιλησιακά* scripsit atque in numero eorum habendus est, quos Epimenidem inter septem sapientes recensuisse Plutarchus c. XII auctor est (cf. Laert. Diog. I, 41). Leandrum vero quum supra viderimus etiam alibi fontem fuisse Hermippi, hunc Plutarchus hic quoque exscripsisse videtur. Hermippum autem in libro *περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν* de Epimenide disputasse luculenter comprobatur Procli commentario in Hesiod. Op. et Dies v. 41 (M. fr. 48) Eum Theopompum quoque adhibuisse non sine veri specie Haugius coniicit qui in octavo Philippicorum libro de Epimenide egerat (cf. Laert. Diog. I, 109, 115), Appollon. Dysc. Hist. Comm. c. 1 (fr. 69 M. I p. 288) Alium auctorem memorat Laertius I, 115 *Μορωνιανὸς δὲ ἐν ὁμοίοις φησὶν ὅτι Κούρητα αὐτὸν ἐκάλουν Κρῆτες* cf. Plut. c. 12 *Κούρητα νέον αὐτὸν οἱ τότε ἄνθρωποι προςηγόρευον.* Fortasse Hermippus etiam Aristotelem consuluit (cf. p. 22).

Si narrationem Plutarcheam cum Laertiana contuleris, invenies multis locis similitudinem magnam inter utrumque scriptorem intercedere. Atque tales locos, ut omittam eos, qui iam allati sunt, praecipue mihi notavi hosce:

Plut.	Laert. Diog.
c. 7 *Ἀλλὰ καὶ παῖδα* sqq.	I, 26 *ἔνιοι δὲ καὶ γῆμαι* sqq. [1]
c. 10 *ἐμβαλόντα γάρ* sqq.	I, 48 *ἐγγράψαι αὐτόν* sqq.
c. 10 *ἔτι δὲ μᾶλλον* sqq.	I, 48 *ἔδειξε τοὺς νεκρούς* sqq. [2]
c. 12 *Λέγεται δὲ τὴν Μουνυχίαν* sqq.	I, 114 *ἰδόντα γοῦν τὴν Μουνυχίαν* sqq.
c. 18 *Ἐρωτηθεὶς γάρ* sqq.	I, 59 *ἐρωτηθείς, πῶς* sqq.
c. 23 *τῷ δ' Ἴσθμια νικήσαντι* sqq.	I, 55 *Ὀλυμπιονίκῃ μέν* sqq.
c. 30 *ἀπῆλθεν εἰπών* sqq.	I. 49 *τῶν μὲν σοφώτερος* sqq.
c. 32 *Ἡ δὲ διασπορά* sqq.	I. 62 *τοῦτον ἐπισκήψας* sqq.

Talem consensum eo explicandum esse quod Laertius Diogenes Plutarchi scrinia compilaverit, nemini, opinor, in mentem veniet statuere.

Ex Hermippo Plutarchum etiam narrationem de conventu Solonis et Croesi sumpsisse putat Haugius p. 37, atque equidem ei assentiar. Namque mihi perspicuum esse videtur Plutarchum non Herodoto usum esse, quod aliquis, qui veloci oculo Herodoti relationem percurrit, existimare potest, atque Heerenius asseveravit (p. 29). Haugii vero explicatio huius sententiae non omni ex parte recte mihi se habere videtur. Haugius enim dicit causam, propter quam nemo ante mortem beatus praedicandus sit, diversam esse apud Herodotum atque Plutarchum, quia hic Solonem a nullo sana mente praedito quemquam nondum mortuum beatum praedicari possi dicentem, ille deorum invidiam causam afferentem faciat, qua homines magna felicitate uti prohibeantur. Eatenus prorsus cum eo facio. Quod vero addit Herodoti narrationem omnino ita Solonis sententiis convenire, quales ex carminibus cognoscamus, ut eam veram esse statuendum sit, contra hoc mihi monendum videtur in Solonis carminibus nullum apparere vestigium illius de deorum invidia opinionis, quae praecipue Herodoti propria est, ita ut non liceat statuere Herodoti relationem veram et antiquam esse. Ceterum relationes etiam aliis rebus inter se differunt. Velut Plutarchus narrat precibus Croesi commotum Solonem ad eum venisse, quod Herodotus ignorat, et quae hic de Croesi filiis et Lydorum rege Apollinem in toro imprecante tradit, apud Plutarchum desunt. Certe Plutarchus aliam relationem secutus esse videtur, quae tamen Herodotum respexit, namque nonnulla verba Plutarchi eadem sunt atque Herodoti, velut *θησαυροὺς ἐπιδεῖξαι — ὑποδύντες ἐκόμισαν — οὐκ ἔτι ἀνέστησαν — ἀνεβιβάσθη δεδεμένος*, cui quidem rei non multum tribuendum est. Neque alibi, ubi utique necessarium fuit, velut in Aristidis et Themistoclis vitis, Plutarchus Herodoto usus est. Quod utrum fecerit, quia aegre ferebat Herodotum patriam suam vituperasse an quia aptiorem fontem praeferebat, diiudicare non ausim. Quod vero Solon cum Croeso convenisse dicitur, id fictum esse iam nemo negabit; fortasse ab Atheniensibus excogitatum est, qui sapientem suum civem Croeso regi opponere volebant. Temporis rationes prorsus obstant [1], atque multa commenta, quibus viri docti efficere conati sunt, ut fama tempori conveniret, futilia meraeque nugae sunt, ita ut ea nihil attineat commemorare. Iam veteres quidam illud perspexerunt, cuius rei Plutarchus c. 27 nos certiores facit. Causa vero, quam hic contra illos profert admodum insignis est ad demonstrandum, quantopere artis criticae expers sit. Putat enim fidem illius narrationis maxime eo probari, quod prorsus Solonis moribus conveniat, atque tale argumentum etiam testium auctoritati praeponendum esse tabulas autem chronologicas virorum doctorum quasi fide indignas contemnit.

Neque vero solum locis allatis, sed multis aliis mihi Plutarchus ex Hermippi libris hausisse videtur, quibus id

1) Uter hoc loco erraverit, diiudicari non potest.
2) Laertius falli videtur.

1) Fortasse Solon cum alio Lydorum rege congressus est.

certo demonstrare non possumus. Equidem existimo Hermippum varias variorum scriptorum relationes collegisse, atque, si hoc verum est, certo concludere possumus Plutarchum eum quam maxime expilasse, namque talis scriptor ei placebat, atque, quum comprobasse nobis videamur, Plutarchum diversissimis vitae locis Hermippum exscripsisse, contendere licebit in Hermippi libris fundamenta Plutarchei Solonis posita esse. Magna autem auctoritate Hermippus apud veteres florebat, atque a Dionysio Halic. de Isaeo c. 1 (fr. 58 M.) *ἀκριβής* et ab Iosepho c. Apion. I, 22 *ἀνὴρ περὶ πᾶσαν ἱστορίαν ἐπιμελής* appellatur. Attamen nequaquam certus auctor est, ac permulta occurrunt, quae procul dubio falsa et commenticia sunt. Ad eum pleraeque fabulae referendae videntur, quae in Solonis vita inveniuntur. Ex his Hermippum redolentibus fabellis unam eligam, illam dico de fraude a Solonis amicis commissa narrationem, quam Plutarchus c. 15 profert. Illi agros emisse dicuntur pecunia mutua sumpta non ignorantes se illam non reddituros esse, quum seisachthia instituta esset. Solon vero ne ipse quasi huius consilii particeps lucri causa seisachthiam instituere videretur, debitori, qui quinque talenta mutuatus erat, ea remisisse fertur. Talentum numerus diversus erat apud diversos scriptores. Ac quindecim quidem fuisse Polyzelus Rhodius narraverat. Quando hic vixerit, in incerto relinquendum est. Novimus autem eius librum Rhodiaca (cf. Müller IV, 481 Voss. ed. W. p. 490), in quo fortasse nonnulla de Solone tradiderat, quum de Solis, Ciliciae urbe, ageret, quam alii a Solone nomen accepisse, alii (Strabo XIV p. 671) a Rhodiis conditam esse referebant.

Hanc fabellam ex Hermippi libris repetitam esse conieceram, priusquam animadvertissem Laertium Diogenem I, 45 tradere septem talenta fuisse. Qui, fortasse aliquis obiiciet, id Hermippo assignare potes, quod Laertius Diogenes aliter tradit? Sed ea discrepantia est levioris momenti, namque in codicibus saepissime numeros labem contraxisse constat. Potes vero

ita quoque discrepantiam explicare, nisi eam Laertii Diogenis negligentiae tribuere mavis, ut dicas Hermippum praeter Polyzelum Rhodium alios commemorasse, qui septem, alios, qui quinque talenta perhibuissent, Plutarchum vero hunc, Diogenem illum numerum accepisse.

Quodsi summam nostrae dissertationis breviter complectimur, Plutarchum in Solonis vita describenda tres potissimum fontes adhibuisse vidimus Solonis carmina et Didymi libros et Hermippi opera atque ita quidem, ut haec toti vitae quasi fundamenta subessent, ex Didymo autem praecipue ea transscriberentur, quae ad leges pertinerent[1]). Itaque diiudicare possumus, quantum fidei singulis tribuendum sit Plutarchi relationibus.

1) Non silebo me coniecisse fortasse unum tantum fontem praeter Solonis carmina statuendum esse atque Hermippum quidem, cuius narrationi interdum singula ex Didymo excerpta inserta essent. Id Plutarchi consuetudini prorsus responderet, cf. H. Peterum Mus. Rhen. vol. XXII (1867) p. 62, cuius verba huc transscribere liceat: »Hatte Plutarch einmal eine Quelle gefunden, die seinem Geschmacke und seinen Zwecken vollständig zusagte, so beutete er sie auch so lange als irgend möglich aus, entnahm aus ihr den Grundstock seiner Erzählung.« Ea coniectura multae difficultates removerentur. Hermippus autem sine dubio libros Aristotelis, Theophrasti, Demetrii Phalerei, Heraclidis Pontici, aliorum, quorum vitas descripserat, accurate perlegerat, adhibuerat, attulerat. Sed quum incertum sit, num de legum tabulis accurate egerit, illud certo affirmare non ausim. Quamquam haud veri dissimile est eum in libro *περὶ νομοθετῶν* Callimachi magistri opus, quod inscribebatur *πίναξ τῶν νόμων*, imitatum accurate de legum tabulis disputasse. Quodsi statuerimus Hermippum Solonis Plutarchei fontem fuisse, non licebit inde quod Hermippus non satis certus auctor est, concludere in Solonis vita incerta tantum inesse, sed fides eius ex singulis pendet auctoribus, quibus usus est, atque si examinaverimus, ex quibus scriptoribus singula hausta sint, id quod nos conati sumus, de fide iudicare poterimus.

Apparet autem evinci non posse, unde quaevis narratio depromta sit. Velut dubium est, utrum Clidemum ipse legerit an alibi citatum invenerit. Ad hunc enim referenda sunt verba c. 1: *Λέγεται δὲ καὶ Πεισίστρατος ἐραστὴς Χάρμου γενέσθαι καὶ τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἔρωτος ἐν Ἀκαδημίᾳ καθιερῶσαι.* Ille autem in octavo *τῶν Νόστων* (quod opus fortasse Atthidos pars erat) libro haec narravit (Athen. XIII p. 609 C. fr. 24 M. I p. 364) (*Κλείδημος ἱστορεῖ ἐν ὀγδόῳ νόστων) Χάρμου τοῦ πολεμαρχήσαντος θυγατέρα ἔλαβεν* (*ὁ Πεισίστρατος*) *Ἱππίᾳ περικαλλεστάτην οὖσαν, τῷ μετ' αὐτὸν τυραννεύσαντι· συνέβη δὲ, ὥς φησι, τὸν Χάρμον ἐραστὴν τοῦ Ἱππίου γενέσθαι καὶ τὸν πρὸς Ἀκαδημίᾳ Ἔρωτα* (*Ἔρωτος βωμόν* coni. Siebelis) *ἱδρύσασθαι.* Vides quantopere narratio a Plutarcho perperam mutata sit. Utrum hoc eius culpa, qui parum accurate id quod legerat memoria tenebat, an alius factum sit, quem sequebatur, dubium est. Attamen illud sumere malim.

Ut vero Plutarchus nobis vituperandus est, quod in singulis rebus se indiligentem et levem praestiterit, ita totam vitam laudare non possumus, atque dolendum est eum fontes praestantissimos, quibus uti potuit, aut prorsus neglexisse aut prave adhibuisse. Sed utut haec sunt, magnam ei gratiam debemus, quod hanc qualemcunque vitam conscripsit.

RUDOLFUS PRINZ DE VITA SUA.

Natus sum pridie Idus Martias a. h. s. XLVII Hammonae Guestfalorum patre Casparo matre Elisabetha e gente Kneeriana, quos adhuc superstites esse gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Primis literarum elementis imbutus a. h. s. LVI patriae urbis gymnasium adii, quod Gustavo Wendtio moderante florebat. Cuius viri doctissimi atque humanissimi aliorumque praeceptorum carissimorum egregia disciplina et institutione per octo annos usus quum vere anni LXIIII maturitatis testimonio instructus essem, studiis philologicis operam dare constitui. Ac primum quidem Monasterium, in vicinum Guestfaliae caput, me contuli, ubi per sex menses scholis interfui, quas habuere Niehues, Parmet, Schwerdt, Storck, Winiewski. Deinde Halas profectum me docuerunt Bergk, Bernhardy, Conze, Haym, Hertzberg, M. Heyne, Lucae, Pott, Zacher. Praeterea exercitationes seminarii philologorum, cui Bergk et Bernhardy praesunt, per sex menses obii. Anno praeterito Bonnam migravi, ubi per duos annos studia continuavi. Hic docentes audivi Bernaysium, Delium, Heimsoethium, Iahnium, Maurenbrecherum, Nissenum, Noordenum, Ritterum, Schaeferum, Simrockium, Sybelium, Usenerum. Iahni Usenerique benignitate mihi contigit, ut in seminarium philologicum reciperer, cuius per ter senos menses sodalis fui ordinarius. Ut in historico seminario per duos annos vires meas exercerem, Kampschulte, Schaefer, de Sybel benignissime permiserunt. Quibus viris omnibus ut gratias ago quam maximas, ita imprimis pio gratoque animo mihi colendi sunt Otto Iahn, Arnoldus Schaefer, Hermannus Usener.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Repetitio versuum seu hemistichiorum seu singulorum in vicinis versibus vocabulorum, quae praecipue in Euripidis fabulis nos offendit, plerumque non ferenda est.
2. Delendos puto Eur. Med. v. 943 N. (v. 941 [cum Kirchhoffio] scribendum *τί χρή;* v. 942 *δάμαρτα σὴν κέλευσον αἰτεῖσθαι πάρος.* v. 945 cum scholiasta Medeae tribuendus) v. 1225—27. Phoen. 486—87. Soph. Phil. 266. 268 (ita ut 267 post 264 ponendus atque 265 et 269 ita in unum contrahendi sint: *ἔῤῥιψαν αἰσχρῶς, ἡνίκ' ἐκ τῆς ποντίας*).
3. Transpositione sanandi videntur Eur. Med. v. 334—38 et 725—31 atque ita ponendi: 334. 337. 336 (*οὐ δῆτα*). 335. 338. — 725. 726. 730. 727. 728. 731 (729 del.).
4. Scribendum coniicio Soph. Ai v. 510: *νέαν τροφήν.* 1132: *οὐ γὰρ κακόν* Eur. Alc. 725: *φανεῖ γε* 1093: *αἰδῶ μὲν αἰνῶ* Suppl. 449: *κλῶνάς τ' ἀφαιρῇ* Hel. 1074: *κοῦριος δρόμος* Herc. Fur. 81: *ἐξευτρεπίζει* Med. 626: *ὥστ' ἐπαυρέσθαι.*
5. Grotei historia Graeca, quamvis magna, tamen non ea mihi laude digna videtur, quam ei tribuit Schoemannus Verfassungsgeschichte Athens p. 1.
6. Thucydides non accusandus est, quod bello Peloponnesiaco ducis munere prave functus sit.
7. Sine ullo iure Athenienses post pugnam ad Arginusas commissam sex duces supplicio affecerunt.
8. Studia philologica et historica quam arctissime coniungenda sunt.